[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

PHAEDRI EPICUREI,

VULGO

ANONYMI HERCULANENSIS,

DE NATURA DEORUM

FRAGMENTUM

INSTAURATUM ET ILLUSTRATUM

A

CHRISTIANO PETERSEN,

PHILOS. DOCTORE ET PHILOLOGIAE CLASSICAE PROFESSORE PUBLICO IN GYMNASIO HAMBURGENSIUM ACADEMICO.

PRAEMISSUM EST INDICI SCHOLARUM IN GYMNASIO ACADEMICO SEMESTRI H. A. HIBERNO HABENDARUM.

HAMBURGI.

Typis Joann. Aug. Meissneri, Amplissimi Senatus, Gymnasii et Joannei Typographi.

In Commissis Perthesii et Besseri.

1833.

INDEX
SCHOLARUM

IN

GYMNASIO HAMBURGENSIUM ACADEMICO

A DIE FESTO MICHAELIS 1833 USQUE AD PASCHA 1834

HABENDARUM



EDITUS

A CHRISTIANO PETERSEN,

PHILOS. DOCTORE ET PHILOLOGIAE CLASSICAE PROFESSORE,

H. S. GYMNASII RECTORE.

PHAEDRI EPICUREI, VULGO ANONYMI HERCULANENSIS, DE NATURA DEORUM FRAGMENTUM INSTAURATUM ET ILLUSTRATUM.

HAMBURGI, 1833.

TYPIS JOANNIS AUGUSTI MEISSNERI, AMPLISSIMI SENATUS, GYMNASII ET JOANNEI TYPOGRAPHI.

Prooemium.

Ad declarandam pietatem quum nihil efficacius et magis necessarium esse soleat, quam accepti beneficii ponderare vim et magnitudinem: nostrum profecto est, ante omnia videre, quid et quantum sit illud, quod, favore divini numinis et sapiente consilio virorum publicae salutis studiosorum, ad augendum Gymnasii academici florem nuperrime factum esse constat. Meministis, Cives, quam diu vacaverint aliquot professorum cathedrae, quamque prompte et celeriter ante hos quinque annos aliunde subventum sit necessitati rerum. Vidimus enim doctissimos *Ioannei magistros* eodem animo studioque Gymnasii curare scholas, quo suas etiam nunc ornare solent. Accessit *aliorum* opera, qui iuventutis literarumque amore ducti, docentium partes ultro susceperunt et fortiter sustinuerunt. Nec frustra contendit *Lehmanni nostri* cura atque eruditio, quae sedulo cavit, ne quid detrimenti caperet res gymnastica. De *me* ipso et *mea* qualicunque opera non est quod dicam.

Exstiterunt tandem *Summi Magistratus*, nulli non scholae bene cupientes, qui et ipsi divinarum humanarumque rerum scientia imbuti, et hodiernae institutionis ambitum animo complexi, veterem Gymnasii integritatem restituere, eiusque utilitatem dignitatemque amplificare niterentur. Horum igitur virtute atque admirabili industria factum est, ut, quod dudum exoptavimus, novam illius instituti formam ac rationem publica auctoritate et lege iam nunc sancitam videamus.

(1)

Alius iam incipit studiorum nostrorum usus et ordo; aliud erit futurae institutionis consilium et momentum. Patebunt enim in posterum Gymnasii scholae non iis tantum adolescentibus, qui academica studia sequuntur, sed aliis quoque et omnibus, quos iuvat addiscere, quae acuant ingenium, augeant sollertiam, exerceant meditandi vim et facultatem, popularem etiam industriam. Ipsa civilis vitae negotia fructum inde ac splendorem trahent, quum liberior patefactus fuerit introitus in ampliorem uberioremque artium literarumque campum.

Ne vero tanto operi deessent laboriosae manus, candida pectora, idonei adiutores, uno eodemque die, V Septembris huius anni, publice delata est literarum professio tribus Philosophiae Doctoribus, viris ingenii et doctrinae praestantia spectatis, qui succederent in locum totidem professorum, quos fati necessitas nobis eripuit.

Nomina illorum sunt:

1. *Christianus Petersen*, Kiloniensis, natus d. XVII. Ianuarii 1802.
2. *Otto Carsten Krabbe*, Hamburgensis, nat. d. XXVII. Decembris 1805.
3. *Christianus Fridericus Wurm*, Blavifontio - Würtembergensis, natus d. III. Aprilis 1803.

Nomina literariae reipublicae omnino non incognita: exstant enim singulorum scripta, meis laudibus superiora, quorum e numero memorare libet nonnisi haec:

Philosophiae Chrysippeae fundamenta etc. Hamburg. 1827.
Philologisch-historische Studien auf dem Gymnasium etc. Hamb. 1832.
Hippocratis Coi de aëre, aquis et locis etc. ibid. 1833.
Edidit *Petersen*.

Dissert. de Codice Canonum, qui Apostolorum nomine circumferuntur. Götting. 1829.
Ursprung und Inhalt der apostol. Constitutionen des Clemens Romanus. Hamburg. 1829.
In lucem emisit *Krabbe*.

Letters on early education etc. London 1827.
Kritische Blätter der Börsenhalle. Hamb. 1830 — 1833.
Ueber die Hamburg. Erklärung am Bundestage, das deutsche Zollwesen betreffend. Hamb. 1833.
Specimen inchoati operis: Die Englische Kirche vom Regierungsantritt bis zum Tode Wilhelms III. ibid. eodemq. a.

Scripsit *Wurm*.

Omitto plura cuiusque scripta, eaque personis illorum digna. *Omnium* autem professorum opera posthac versabitur in tractandis docendisque rebus ad *Philosophiam, Mathematicam, Physicam, Historiam naturalem, Philologiam classicam* itemque *biblicam*, et *Historiarum enarrationem* pertinentibus. Nec dubium est, quin tot tantarumque doctrinarum studium, si recte instituatur, si docentium ardor excitetur discentium attentione, si ab utrisque omnia referantur ad pietatem in Deum ad ingeniorum cultum et morum sanctitatem, eo fructuosius futurum sit, quo plures in eius studii societatem venturi sint.

Hoc loco praeteriri nec potest nec debet memoria nostri olim *Grohmanni*, Viri Clarissimi. Discessit a nobis, rediitque ad suos Lipsiae degentes. Coluimus eum ut philosophiae theoreticae et eloquentiae professorem publicum, dileximus ut coniunctissimum collegam, amavimus ut amicum certissimum virumque probissimum. Qua arte, quo animo, quanto cum fructu eos erudiverit, qui scholas eius frequentarunt, nemini non notum est. Utinam valeat vigeatque, dum vivet; vivat diuturnam et placidam vitam!

Philosophicae lectiones, quas Grohmannus habuit, in partes suas descriptae atque inter novos professores ita distributae sunt, ut primus eorum *historiam philosophiae* enarret, alter *logicam* exponat et *psychologiam*, tertius *aestheticam* et *rhetoricam* explicandam suscipiat. Atque in his quidem doctriuae generibus quum una spectetur rerum

veritas, ipsa docendi ratio tanto erit praestantior rariorque, quanto maior et perspicuitas et elegantia orationis cum subtilitate cogitandi coniungetur.

Monendum denique est, intelligi ex ipsa earum rerum natura, quas diximus, *primo hoc semestri* professores nonnullos studiosae *tantum* inventuti operam navare posse, non aliis; at qui *Historiam*, *Geographiam* et *Mathematicam* profitentur, ii sane iam nunc paratissimi erunt ad publicam aliorum institutionem, qui quidem suum professi nomen, audiendi discendique voluntatem declaraverint.

His ita perscriptis, nihil est quod animum vehementius moveat, quam admiratio summae humanitatis, qua *Amplissimi Proceres* in ornando Gymnasio usi sunt. Omnino tam illustrem prolixae erga nos, erga iuventutem literarum amantem, erga omnium ordinum cives, voluntatis suae significationem dederunt, nihil ut iam aliud cogitandum agendumque sit, nisi qua ratione tali ac tanto beneficio nos dignos praesteınus. Hoc igitur meditemur, in hoc incumbamus, ut memores pietatis ac venerationis Procerum meritis debitae, diligentissime obeamus omnia delati muneris officia, quamvis ardua multisque difficultatibus impedita.

Has difficultates eo felicius superabimus, quo arctior erit coniunctio animorum consiliorumque cum *professoribus Ioannei*, qui pari honore digni, idem stadium currunt, eandemque agendi rationem sequuntur. Ut vero mutua fide et caritate, ut communibus omnium utriusque scholae magistrorum studiis, proficiat iuventus et magis magisque floreant artes, faxit Deus Optimus Maximus.

Scr. m. Octobri 1833.

Hipp.

I.

De voluminibus papyraceis Herculani repertis in universum.

Centum et viginti praeterierunt anni, ex quo illa Campaniae oppida, Herculanum, Pompeii et Stabiae, quae per mille septingentos annos cineribus et saxis principio liquefactis, deinde obduratis obruta iacuerant, casu reperta, denuo detecta et quasi in lucem retracta sunt. Ingens quotannis, ne quid de templis, theatris aliisque aedificiis dicam, insignium simulacrorum, statuarum, tabularum earumque rerum, quae olim ad vitae usum pertinuerant, multitudo curiosae hominum contemplationi proposita erat, cum (a. 1752) aedes effossae sunt, Pisonis nuncupant, cum aliis rebus pretiosis, tum maximo voluminum numero refertae. Neque sane veri est dissimile, eas habitasse Lucium Pisonem, qui Philodemo, cuius permulta scripta ibi reperta sunt, praeceptore*) et amico uteretur, vel, ut Winckelmannus opinatur, ipsum Philodemum, qui in hoc secessu bibliothecam habuerit, suoque otio usus sit. Magna initio doctorum hominum exspectatio excitata est, sperantium fore, ut multi veterum poëtarum, historicorum, philosophorum adhuc pro deperditis habiti nunc fere integri in manus nostras redirent. Et primum et alterum accuratiorem nuntium in Germaniam primus omnium attulit vir de litteris antiquis optime meritus, J. Winckelmannus.**) Paullo post nuntio accepto***), volumina ista a cinere

*) Cic. in Pison. c. 28 et 29 et Asconius ad h. l.

**) Briefe an Biankoni, königl. sächs. Hofr. 1 — 3. Nachrichten von den alten Handschriften, die sich in dem königl. Museum zu Portici befinden. 1758. Opp. Vol. II. p. 227.

***) Eiusd. Sendschreiben von den herkulanischen Entdeckungen an den Reichsgrafen von Brühl. Dresd. 1762. 4. Opp. Vol. II. p. 94.

candente, quo oppressa fuissent, et ipsa in carbones et cineres esse versa, atque levissimo tactu vel afflatu in pulverem mutari, neque quidquam esse repertum praeter commentarios quosdam Philodemi nec doctrina nec elegantia insignes, tum vero incisa est ingens illa omnium eruditorum spes, quae paucis annis post penitus deposita est et fere desperata, cum exisset fama*), etiamsi Pinggius, vir difficillima quaeque legendi et describendi vel depingendi in arte peritissimus, peculiari quadam ratione instructus ab ipso inventa**) quatuor volumina magna ex parte ita evolvisset, ut legi et describi possent: omnem hunc laborem omnino esse omissum. Erant autem evoluti Philodemi quartus liber de Musica, liber secundus et deinde primus de Rhetorice atque liber unus de vitiis et oppositis virtutibus. Quinti voluminis, quod Phaniae librum de Stirpibus continuisse dicitur, inscriptio tantum lecta est; sexti, quod evolvi coeptum erat, et inscriptio et initium deerat.

Quadraginta demum annis, postquam reperta erant prima volumina, unum eorum accurate tabulis aeneis expressum, lacunis suppletis instauratum, Latine versum atque commentariis eruditissimis illustratum in manus doctorum venit hac inscriptione insignitum:

Herculanensium voluminum, quae supersunt, Tom. I. Neapoli 1793. Fol.

Continet hic tomus *Φιλοδήμου περὶ Μουσικῆς Δ̄*, cuius libri undequadraginta fere paginae vel columnae servatae sunt. In restituendo opere omnes fere Academici istius aetatis diligentiae laudem meruerunt, Mazzocchius, Rosinius, Ignarra, Buffius et Federicius; duplices commentarios scripsit et editionem paravit Carolus Rosinius. Deinde ipsius negotii eiusque difficultatum ratio reddita est in libello:

Dissertatio Isagogica ad Herculanensium voluminum explanationem. Neapoli 1797. F.

---

*) Eiusd. Nachrichten von den neusten Herculanischen Entdeckungen, an H. Füessli in Zürch. Dresd. 1764. 4. Opp. Vol. II. p. 216.

**) Hanc evolvendi rationem praeter Winckelmannum descripserunt Fougeroux de Bondaroy (Recherches sur les Ruines d'Herculanum. Paris 1770. 8.) et Consul noster Magnificus, litterarum non minus, quam rerum civilium peritus, J. H. Bartels. (Briefe über Kalabrien und Sizilien. Vol. I. Götting. 1787. 8. p. 137.)

Ex primo tomo nonnulla excerpsit, atque brevi eorum, quae ad illum annum usque hac de re facta sunt, narratione praemissa, edidit Chr. Theoph. de Murr:

> De Papyris seu voluminibus Graecis Herculanensibus Commentatio. Argentorati 1804. 8.

Eundem librum, paucis mutatis et aliis, quae postea amici eius Neapolitani nuntiaverant, additis, Germanice versum typis repetendum curavit:

> Philodem von der Musik. Ein Auszug aus dessen viertem Buche. Aus dem Griechischen einer Herculanischen Papyrusrolle übersetzt. Berlin 1806. 4.

Evolvendi negotium cum propter difficultates et impensas per quadraginta annos omnino intermissum esset, Princeps Valliae, qui tum rebus Anglicis praeerat, intercedente Hamiltone, viro rarioris doctrinae, qui Anglorum res Neapoli curabat, opes atque auxilium obtulit. Hoc conditione accepta Hayter, bibliothecae Principis Valliae praefectus, vir linguarum veterum peritissimus, (a. 1802) Neapolin missus est, qui Academicos Neapolitanos in evolvendo et interpretando adiuvaret. Pluribus iam hominibus ad negotium adhibitis brevi tempore multa volumina evoluta, lecta atque descripta sunt.*) Sed res cum optime procederet, bello interrupta est. Francogalli enim anno 1806 eam partem regni Siculi, quae in continente est, occuparunt. Volumina ipsa Neapoli relinquenda erant, exempla vero descripta satis mature Panormum asportata ibique servata sunt.

Secundus voluminum evolutorum tomus, antequam Francogalli bellum intulerant, fere perfectus, Ioachimo Napoleonte regnante omnino absolutus, eiusdem auspiciis non multo post in publicum prodiit:

> Herculanensium voluminum, quae supersunt, Tomus II. Neapoli 1809. F.

Insunt in eo fragmenta poematis Latini Augusti tempore de bello Actiaco scripti, quae supplevit et explanavit Nicolaus Ciampittius, praeterea ex libro secundo et

*) Murrius in Philodemo Germanice excerpto p. 22. primis refert duobus annis septuaginta volumina ab eo esse evoluta: plura sequentibus annis duobus, qui soli concessi erant, esse reperta, ex libro Andreae de Jorio (Officina de' Papiri Napoli 1825) cognosci potest, comparato indice librorum descriptorum in Angliam missorum: quantum vero Neapolitani, quantum Angli contulerint, nusquam aperte expositum invenimus.

undecimo Ἐπικούρου περὶ Φύσεως fragmenta curantibus Carolo Rosinio et Bartholomaeo Pessettio. Illud, ab aliis L. Vario, ab aliis C. Rabirio attributum, suis et Morgensternii notis auctum repetendum curavit I. Th. Kreissig, Lipsiae 1814. 4. Epicuri reliquias ad Rosinii exemplar, hic illic notis additis, accurate repetendum curavit Io. Conr. Orellius, omissis tantum tabulis aeneis, quae etiam litterarum formas et lacunas redderent, Lipsiae 1818. 8. De exemplis descriptis, quae in Siciliam allata esse dixi, cum conditiones, quae inter Anglos et Neapolitanos convenerant, non satis definitae viderentur, acerrima lis exorta est. Mense demum Augusto anni sequentis (1807) W. Drummondius, tum regis Anglorum in aula Siciliensi internuntius impetravit, ut exempla illa ipsi describenda committerentur. Pars iam aeri incisa erat, cum denuo exarsit rixa, qua composita ab Anglis alia exempla sunt descripta eaque in Angliam missa, ubi facilius et celerius aeri inciderentur et ederentur.

Hanc narrationem debemus W. Drummondio, qui eam nonnullis locis consilio obscuratam in medium protulit in libro ab ipso et Rob. Walpolio edito, qui hac insignitus est inscriptione:

> Herculanensia or archeological and philological dissertations, containing a Manuscript found among the ruins of Herculanum. London 1810. 4. *)

Fragmentum de Natura Deorum, quod hic primum exhibetur, auctoris nomine utpote ignoto non adscripto, bis typis expressum est, et lacunosum atque mancum, ut in volumine legi potest, et suppletum resartumque, ut Drummondius quidem praemonet, ab Academicis Neapolitanis vel Herculanensibus; quamquam Andreas de Iorio, ipse huic Academiae adscriptus, de hac re dubitat, neque ullum instaurationis illius vestigium Neapoli exstare refert. Numquid ab Anglis responsum

*) Hunc librum, quem nuper Berolini accuratius cognoscere mihi contigit, ex itinere redux in nostra etiam bibliotheca adservatum reperi; collectiones voluminum Neapoli et Oxoniae editas Berolini quidem vidi, sed in summa temporis brevitate vixdum inspicere licuit; ceterum et eius, qui primo loco bibliothecae Regiae praeest, et reliquorum, qui illius curam gerunt, quin gratus profitear liberalitatem et benevolentiam, a me impetrare non possum.

sit, equidem ignoro; fieri autem potuit, ut Hayter, cum Neapoli vel in Sicilia degeret, privatim cum Academicis de ea re ageret. Ceterum non est, quod de instaurationis honore inter se certent; quamvis enim multa bene et sagaciter sint restituta, plura tamen, cum sensu omnino careant, ferri non possunt, magna ex parte ne Graeca quidem sunt, certe neutiquam comparanda cum iis, quae prius ab Rosinio V. Cl. hoc in genere praestita erant.

Ceterorum voluminum editio, quam Angli Neapolitanis promiserant, et Drummondius Walpoliusque publice indicarant, diu retardata est; interpretatio vero, quam et ipsam, teste Andrea de Iorio, illi promiserunt, adhuc temere exspectatur. Post quatuordecim demum annos in lucem prodiit:

> Herculanensium voluminum Pars prima. Oxoniae sumptibus typographei Clarendoniani lithographice excudebat N. Whittock. 1824. 8.

et proximo iam anno:

> Herculanensium voluminum Pars secunda. Oxoniae 1825. 8.

Paginae ad archetypum, quantum fieri potuit, accuratissime expressae videntur, ut in singulis foliis singulae legantur: nulla lacuna suppleta est, nihil additum, quod lectoris intelligentiam adiuvet, nihil omnino, quod non interpretis opera atque emendatrice manu indigeat, quam quidem, quod equidem sciam, volumina haec nondum sunt nacta. Continentur autem primo volumine

1) *Φιλοδήμου περὶ κακιῶν*, 26 Columnae. N. 1008.
2) Anonymi *περὶ ὀργῆς*, 55 Coll. N. 182.
3) *Φιλοδήμου περὶ κακιῶν καὶ τῶν ἀντικειμένων ἀρετῶν καὶ τῶν, ἐν οἷς εἰσί, καὶ περὶ ἅ*, 23 Coll. N. 1424.
4) *Δημητρίου περὶ ποιημάτων*, 28 Coll. N. 1014.

In secunda parte exstant:

1) *Φιλοδήμου περὶ ῥητορικῆς Δ̄*, 45 Coll. N. 107.
2) *Φιλοδήμου περὶ ῥητορικῆς Κ̄*, 70 Coll. N. 1674.
3) *Φιλοδήμου περὶ ποιημάτων*, 38 Coll. N. 1425.

Quod hac edendi ratione iactum est crisis quasi fundamentum firmum et stabile, illud grato quidem amplectimur animo, at iure quaerimus, qui factum sit, ut singulae eiusdem operis partes, quae supersunt, non cunctae in unum idemque cogerentur

corpus. Sunt enim praeter illos, quos ediderunt Angli, alii etiam libri tum illius operis, quod de vitiis exponit, tum eius, quod vitia et virtutes tractat, tum eius, quod de rhetorice scriptum est. Num forte convenit inter Anglos et Neapolitanos de ista universi operis partitione? Aemulantes quasi vel superaturi Anglos ediderunt Neapolitani alias partes idque post viginti fere annos ad suum edendi negotium redeuntes. Exiit enim

Herculanensium voluminum, quae supersunt, Tomus III. Neapoli 1827. F.

Quo continentur:

1) Φιλοδήμου περὶ κακιῶν καὶ τῶν ἀντικειμένων ἀρετῶν καὶ τῶν, ἐν οἷς εἰσί, καὶ περὶ ᾶ Ἶ et Θ̄. 28 Coll.
2) Φιλοδήμου περὶ κακιῶν. 24 Coll.

Prius opus instauravit et illustravit Franc. Ivaronius, posterius Aloys. Caterinus duce et auspice Carolo Rosinio, viro de hisce studiis meritissimo.

Restat, ut cetera referam, quae praeter partes in vulgus editas lecta iam et descripta sunt, ut eorum quoque editio non ita multo post exspectanda videatur. Quae enim in Anglia asservantur, ea in prooemio primae partis editionis Oxoniensis enumerantur; quae vero Neapoli reperiuntur, ea significavit Andreas de Iorio in libro sic inscripto:

Real Museo Borbonico. Officina de' Papiri descritta dal Canonico Andrea de Iorio, Membro onorario del Academia delle belle arte. Neapoli 1825. 8. *)

Hoc libro continentur multa, quae ad illustrandam historiam de voluminibus papyraceis facere possint, de quibus dixi. Reperta sunt omnino mille septingenta quinquaginta sex volumina, evoluta centum septuaginta novem ex iisque sexaginta auctorum nominibus insignita. De ceteris cum, nisi edita fuerint, certi nihil statui possit, ea tantum referre licet, quae auctorum nomina prae se ferunt. Anglorum index Graece, Neapolitanus Latine scriptus est, alter alteri in plerisque congruens; quum tamen in quibusdam discrepent, utrumque coniungendum putavi secundum ordinem litterarum, a quibus nomina auctorum incipiunt.

---

*) Huius libri notitiam debeo viro Magnifico, Syndico nostro, Carolo Sieveking.

Δημητρίου περὶ γεωμετρίας N. 1061. Coll. 6. de geometria.

— *περὶ ποιημάτων* N. 1014. Coll. 28. de poëmatis. Editum Oxoniae P. I.

— *περὶ τινῶν συζητηθέντων διαιται* N. 1006. Coll. 5. In Neap. ind. omissum.

— *πρὸς τὰς Πολυαίνου ἀπορίας* N. 1429. Coll. 2. In Polyaeni difficultates.

Ἐπικούρου περὶ φύσεως, de Natura: huius operis in indice Neapolitano libri tantum secundus et vicesimus diserte nominantur, quamquam duodecim libros repertos docet tabula operi Andreae de Iorio adiuncta, consentiens de numero cum praefatione Rosiuii secundo editionis Neapolitanae tomo praemissa, quae praeter libros II et XI, qui in hoc ipso tomo insunt, numero notatas exstare XIV, XV, XX et XXVIII, addit. Ex indice Anglorum enotavi N. 154. Coll. 5. N. 697, cuius inscriptio tantum exstat, N. 1042. Coll. 24. N. 1142. Coll. 16 et N. 1151, cuius inscriptio librum XV denotat.

Καρνείσκου Φιλίστα B̄ N. 1027. Coll. 15. quod in Neapolitano indice Latine redditur *Amicabilia*; equidem pro nomine proprio habuerim, certe Pyrrhonis soror hoc nomine utebatur. Diog. IX. 66.

Κολώτου πρὸς τὸν Πλάτωνος Λύσιν. In Platonis Lysidem. In tabula Andreae de Iorio tria Coloti tribuuntur volumina, quae in neutro indice accuratius significantur.

Πολυστράτου περὶ ἀλόγου καταφρονήσεως, ΟΙΔ (?) ἐπιγράφουσι πρὸς τοὺς ἀλόγως θρασυνομένους τῶν ἐν τοῖς πολλοῖς δοξαζομένων. N. 336 et 1150. Coll. 38. de temerario contemptu.

Φαίδρου περὶ φύσεως θεῶν. Coll. 12. hic liber in ind. utroque inter anonymos relatus, sub hoc auctoris nomine affertur apud Murrium in Philodemo Germanico verso p. 22. Cf. quae de eo infra disputavimus.

Φιλοδήμου περὶ Ἐπικούρου N. 1232. Coll. 6. N. 1289. Coll. 7. de Epicuro.

— *περὶ θανάτου Δ̄* N. 1050. Coll. 40. de morte.

— *περὶ θείων* N. 26. Coll. 24. de religione.

— *περὶ κακιῶν*, de vitiis N. 1008. Coll. 26. Edit. Oxon. P. I. Eiusdem operis liber, quem ex indice Oxoniensi non enotavi, complet 24 Coll. et legitur in edit. Neap. Tom. III.

Φιλοδήμου περὶ κακιῶν καὶ ἀντικειμένων ἀρετῶν etc. de vitiis atque oppositis virtutibus eorumque subiectis et obiectis. Huius operis tres libri exstant, et editi sunt, Δ̅ et Θ̅ Coll. 28 in Collectionis Neapol. Tom. III., quorum alter in Oxon. ind. sub N. 1675. affertur, alius liber N. 1424. Coll. 24. exstat in ed. Oxon. P. I.

— *περὶ μουσικῆς* Δ̅, de musica, exstat in ed. Neap. Tom. I. Coll. 38. N. 1497. alius liber Coll. 32.

— *περὶ πλούτου,* de divitiis, duo exstant libri, Α̅. N. 163. Coll. 28. N. 200. incertus Coll. 5.

— *περὶ ποιημάτων*, de poëmatis N. 1425. Coll. 39. Ed. Oxon. P. II. N. 1014. Coll. 28. N. 1538. *τοῦ* Ε̅ *τῶν εἰς δύο τὸ* Β̅. Coll. 12.

— *περὶ ῥητορικῆς* de rhetorica; cuius operis novem adhuc reperta sunt volumina, liber primus 70 Coll. et secundus*), praeterea N. 1427. Coll. 8. N. 1669. Coll. 35. N. 1672. Coll. 39. N. 1423. Δ̅ *τῶν εἰς δύο πρότερον* Coll. 19. N. 1007. Δ̅ [*τῶν εἰς δύο τὸ δεύτερον*] Coll. 45. Ed. Oxon. P. II. N. 1015. Κ̅. Coll. 77. Ed. Oxon. P. II. N. 1506 *ὑπομνηματικόν* Coll. 51. (rhetorica commentaria).

— *περὶ φαινομένων καὶ σημειώσεων,* de phaenomenis atque signis. N. 1065. Coll. 39.

— *περὶ χάριτος* de gratia, cuius voluminis nihil praeter inscriptionem legi potuit.

Aliorum Philodemi operum inscriptiones ex paucis, quae legi possunt, litteris, a Neapolitanis instauratae sunt, aut etiam libri sunt reperti, postquam Hayter decesserat. Huius generis sunt *de moribus; de moribus ac vitiis, opus ex libro Zenonis contractum, seu de dicendi libertate*; *de conversatione; de ira*, atque *de philosophis*; huius quidem operis apud Diogenem Laertium X. 3. liber decimus memoratur, Graece inscriptus: *ἡ τῶν φιλοσόφων σύνταξις*. Praeterea Andreas de Iorio librum memorat *de Omeri*, vitio typographico, opinor, corruptum. Horum quidem omnium in ind. Oxon. nullum reperi vestigium certum. In universum triginta sex volumina Philodemi adhuc reperta sunt.

Omnes, quos recensuimus, libri Epicureorum sunt; neque ullius philosophi ad aliam sectam pertinentis opera adesse dicuntur praeter duos Chrysippi iam instauratos et ad edendum paratos, quorum alter secundus de providentia est, quem cupide exspectamus. Index Oxoniensis eorum mentionem non facit.

*) De hisce cf. Winckelmann. l. l. Murr de Papyris etc. p. 4. eiusd. Philodem p. 18.

II.

De Phaedro fragmenti de Natura Deorum auctore.

Perdifficilis est quaestio in nomen auctoris, ubi scripta desunt, quorum e similitudine coniecturam facere possimus. Perpendenti tamen mihi, fragmentum nostrum esse praecipuum quasi fontem, ex quo magnam partem primi de Natura Deorum libri Cicero hauserit, et credibile dictu, a Cicerone fontes, si non diserte nominari, saltem aliquo modo indicari, visum est de Epicureis in ipso primo de Natura Deorum libro nominatis cognoscere. Enumerantur autem gravissimi huius disciplinae sectatores iique, qui de Natura Deorum contra alios scripserunt (c. 35): Epicurus, Metrodorus, Hermarchus, Leontium meretrix, Zeno et Phaedrus. Ex uno vel pluribus eorum Velleii, qui Epicuri causam ibi agit, orationem esse sumptam, facile suspicabar, neque dubius haerere poteram, si inter eos lateret fragmenti nostri auctor, quin statuerem, eum esse aut Zenonem aut Phaedrum. Nihilo minus de utroque subdubitabam, quod neutrius quidquam aliud inter Herculanensia adhuc repertum est. Accedebat, quod inter haec volumina *Φιλοδήμου περὶ θείων* exstare noveram, quod volumen Cicero in usus suos conferre potuerat. In ipsam hanc quaestionem intentus Philodemi de Musica librum, a C. G. de Murr Germanice versum, nactus sum ibique p. 22*) Phaedri de Natura Deorum librum Herculani esse repertum cognovi, ex quo Cicero multa in suum de Natura Deorum opus transtulerit. Iam diutius dubitare non poteram, quin ipsum nostrum fragmentum significaretur, quamquam quomodo inscriptio et a Neapolitanis et ab Anglis omitti atque omnino in oblivionem abire potuerit, iure quis quaerat. Neapolitani si coniectura tantum auctorem assecuti essent, inscriptionem certe non Graecis litteris reddidissent; certam enim virorum illorum agnovimus fidem: si pars libri ea, quae inscriptionem continebat, in fuga intercidisset, una cum reliquiis eius certe memoria aut Neapoli, aut apud eos, qui in Siciliam aufugerant, servata esset. Alia difficultas accedit, quod Drummondius instaurationem Academiae Herculanensi tribuit, Andreas de

*) Andere Rollen enthalten: eines Ungenannten Abhandlung über den Zorn; *ΦΑΙΔΡΟΥ ΠΕΡΙ ΦΥΣΕΩΣ ΘΕΩΝ*, von der Natur der Götter. Er war ein Freund des Cicero, welcher vieles daraus in seinen Büchern de Natura Deorum übersetzte. Diese und eine logische Schrift Philodems liegen zum Druck bereit.

Iorio ei deberi negat, quanquam Murrins Octobri anni 1805 ad se Neapoli nuntium allatum esse refert, illo iam tempore hunc libellum ad editionem paratum fuisse, unde collegi Hayterum cum Academicis Neapolitanis privatim de hoc libello instaurando egisse. Ceterum aliquid periisse, inde etiam concludendum est, quod de logico Philodemi libro, qui et ipse ad editionem paratus fuisse dicitur, postea nihil anditum est.

At quo magis inter se discrepant, quae de hoc libello memoriae prodita sunt, eo plura et firmiora argumenta sunt conquirenda, quibus Phaedro auctori vindicetur. In historica quoque libri I de Natura Deorum parte Zenonis potissimum Epicurei librus a Cicerone esse excerptos, quod R. Kühner (Ciceronis in philosophiam merita. Hamburgi 1825. p. 97) credidisse videtur, iam propterea minus verisimile est, quod Cotta, qui Ciceronis partes agit, Zenonem ut maledicum vituperat, Phaedrum vero propter elegantiam et humanitatem magnis laudibus effert. Accedit, quod Zeno suae etiam aetatis Stoicos impugnasse dicitur, neque vero Cicero, neque fragmentum nostrum infra Diogenis Babylonii aetatem descendit. Phaedro autem prae ceteris Epicureis Ciceronem operam dedisse, ex ipsius epistola ad C. Memmium missa (ad Fam. XIII. 1.) discimus: „*Phaedrus nobis cum pueri essemus, antequam Philonem cognorimus, valde ut philosophus, postea tamen ut vir bonus et suavis et officiosus probabatur.*" Idem de Fin. V. 1 Marci Pisonis Peripatetici amicus vocatur, atque in or. Philipp. V. 5 propter ipsum „*nobilem philosophum*" laudatur filius Lysiades.

Ex epistolis Ciceronis eiusque ad singula opera prooemiis viri docti eruerunt, plurimos de philosophia libros ab eo scriptos esse A. U. 708 et 709, cum Caesar rebus Romanis praeesset. Altera Academicorum recensione medio anno 708 absoluta ad libros de Finibus bonorum et malorum componendos se convertit, inde ad Quaestiones Tusculanas, quibus perfectis libros de Natura Deorum et de Divinatione*) conscripsit et ante Caesaris mortem absolvit. At quo consilio haec disputo? Nempe ut demonstrem, ex epistolis eodem tempore scriptis cognosci posse, quibus ad quodque opus libris maxime usus sit. Ita videmus posteriore A. 708 parte, quo tempore epistolae libri XIII ad Atticum scriptae sunt, Ciceronem ab Attico suo ep. 8 petiisse Panaetii libros περὶ προνοίας, quos de N. D. II. 46 et de Div. I. 3. 7. II. 42 adhibitos invenimus, ep. 32 Dicaearchi libros plures,

*) Cf. Epist. ad Att. XIII. 19. N. D. I. 5 et 7. Div. I. 4. et 5.

quos in Quaestionibus Tusculanis (I. 10. 31.) et in libris de Divinatione (I. 3. 50. II. 31.) excerptos videmus. Itaque dubitare non licebit, quin Phaedri quoque libri, quos ep. 43 sibi mitti voluit, simili consilio petiti fuerint. Quantum quidem ex inscriptionibus ibi allatis, ut vulgo leguntur, cognoscitur, hi libri vix ad philosophiam pertinere videntur; „περισσῶν" enim, „et Ἑλλάδος" in omnibus fere Ciceronis editionibus scriptum exstat. At quis nescit, quam corrupta sint Graeca in libris Latinis? Cum igitur περισσῶν quam vim habeat, vix intelligi possit, equidem coniectura non audaciori legerim περὶ θεῶν*), quod maiusculis litteris expressum eandem fere speciem exhibet, conferas igitur *ΠЄΡΙΘЄѠΝ* atque *ΠЄΡΙCCѠΝ*. Certe περὶ secernendum esse, iam alter genitivus Ἑλλάδος demonstrat, qui casus recte se habet, etsi ipsum vocabulum alii quoque corruptum putaverunt. Unus tantum codex manuscriptus praebet Ἑλλάδος, ceteri fluctuant inter *ΗΛΛΙΔΟC* vel *ΗΛΛΙΔΟC* et *ΗΙΙΔΔΔΟC* **), quae si inter se conferimus, legendum esse *ΠΑΛΛΑΔΟC* nobis quidem non est dubium. Praeterea cum uterque genitivus a praepositione περὶ pendeat, neque Latinum „*et*" iuste interpositum esse censeo, sed ex Graeco K̄ corruptum idque pro καὶ per compendium scriptum. Itaque nostrum librum hisce vocibus περὶ θεῶν καὶ Παλλάδος significari puto, sive Cicero, cum ipse librum non possideret, memoriter ideoque minus accurate eum indicavit, sive inscriptio, quam Murrius dedit, coniectando reperta est atque illa Ciceronis pro vera habenda, quod decernere non ausim, quamquam illud verisimilius.

*) Mirandum est, hanc lectionem non vulgo receptam esse: videu enim ex Orellii editione, cum Victorium, tum Manutium eandem dedisse ex libris manuscriptis.

**) Mirum est, quod critici de hoc loco somniarunt. Corradus ad epist. 31. 32. 33 respiciens Dicaearchi libros hic quoque postulari et idcirco Φαῖδρον περὶ ὀρῶν τῆς Ἑλλάδος legendum censet, alii etiam antiquiores περὶ ὄσσων τῆς Λαΐδος restituerunt. At quid faceret Cicero turbulentissimis temporibus in philosophia occupatus libro de vocibus Laidis? ita enim Latine vertunt, quamquam aut ὀσσῶν scribendum erat, aut *de oculis* vertendum. Certe ridicula est castissimae Deae cum meretrice petulantissima confusio. Cf. praeter interpretes ad h. l. Reinesii Var. lect. III. 2.

III.

De crisis genere ad fragmentum Phaedri resarciendum adhibito.

Tres potissimum causae in voluminibus Herculanensibus emendandi occasionem dederunt, librariorum negligentia, litterarum in papyris incendio in carbones versis obscuritas, atque inprimis lacunae in evolvendo ortae. Duae priores rationes ad ea pertinent, quae ab editore ad archetypum exhibita sunt, hisque quasi sunt restrictae: tertium supplendi negotium latius patet, neque nisi sensu et litterarum deficientium numero regitur.

Librarios etiam antiquos iure negligentiae accusari, et Ciceronis de ea re querelae docent (Ep. ad Att. XIII. 23.), et ex voluminibus Herculani repertis arguunt Winckelmannus (Opp. Vol. II. p. 124 et 243), Rosinius (in Comm. ad Philodemum de Musica) et ex eius libro Murrius (de Papyris p. 16. Philodem. p. 29. 30). In corrigendis minoribus vitiis, quae librarii commiserunt, maxime ad similem variarum litterarum sonum est animadvertendum. Ita liquida falso est duplicata C. III. 5 *θαλλάττης;* deinde, quia in syllabis pronuntiandis accentu destitutis litterae obscurantur C. IV. 14 *Μῆτον* pro *Μῆτιν* scriptum est, XII. 11 *φιλαχίας* pro *φιλαρχίας*, et XII. 12 *καλεπώτατον* pro *χαλεπώτατον*; *ι* pro *υ* C. IV. 19 *Νίκτα* pro *Νύκτα*; *η* pro *ε* C. IV. 1 *μητηρα* pro *μητέρα*; VIII. 22 *τη* pro *τε*; nihil tamen frequentius, quam *ει* pro *ι* producto C. IV. 24 *συμπολειτευόμενον;* V. 12. *δρειμύτητος;* X. 15. *εἱμέρους;* XI. 1. *ἐπιτρείψειεν;* XI. 30. *ἐπικειτηθῆναι.* Per negligentiam litterae omissae sunt C. XI. 11 in vocabulo *ἀφεύξεσθαι* pro *ἀποφεύξεσθαι.*

In crisi secandi, quod dixi, generis instituenda, ubi aliquid falso lectum est, maximi est momenti, litterarum formas cognovisse, quae inter se confundi potuerint. Volumina ista litteris maiusculis, quae nunc quoque in usu sunt, scripta reperiuntur, nullis spirituum, accentuum aliisve signis additis*). Sigma autem et

---

*) Unum modo mihi innotuit accentus exemplum, quod Winckelmannus affert, (Opp. Vol. II. p. 124) ex Rhetorices libro primo, ubi Col. X. *ΟΎΚΟΥΝ* scriptum reperit, quod nos etiam eodem accentu significamus (*οὔκουν*), ut distinguatur ab alia eiusdem vocis potestate (*οὐκοῦν*). Cetera, quae ab eo afferuntur signa, vitiorum, quae librarius commiserat, correctionem indicant. Alius signi ()—), quod diversas eiusdem libri partes distinguat, mentionem fecit Rosinius ad Epicuri de Natura librum II. C. 2. v. 6.

Epsilon non quadratam figuram (*E* et *Σ*), sed rotundam (*Є* et *C*) habent, unde intelligitur, has litteras et inter se et cum *Θ* et *O* facile commutari potuisse; cuius commutationis exempla exstant: Col. III. 18 *ΑΝΑΦЄΡЄΙ . . . Α*, quod falso suppletum est in editione Londinensi ἀναφέρει θεῖα, quamquam orationis nexus *ΑΝΑΦЄΡΟΜЄΝΑ* flagitat, et Col. VI. 3 *ΛЄΓΗΤΙCЄΡЄΙΝΗ . . . . ΔЄΙC*, quod suppletum est: λέγῃ τις, ἐρεῖν Ἥρα οὐδείς, quamquam nec οὐδείς cum infinitivo, neque λέγῃ cum nominativo ἀήρ, qui antecedit, coniungi potest; legendum sane est: *ΛЄΓΟΙΤΟЄΡΟΙΝΗΔΗΜΗΔЄΙC* i. e. ἀὴρ λέγοιτο, ἐροῖ ἂν ἤδη μηδείς: ita quidem non accurate litteris litterae respondent; sed ipsa voluminum scriptio minus accurata est; qua de re illud quoque monendum, *Ν* pro *ΑΝ* post vocalem per apocopen positum videri. Eodem modo *Γ*, *Τ* et *Ι* et inter se et cum partibus litterarum *Η*, *Κ*, *Μ*, *Ν* et *Π* interdum confunduntur: sic C. VI. 13 *Γ Α* lectum et γ' ἂν suppletum est, sensus autem flagitat ταύτην; Col. VI. 26. . . . *ΝЄΘΗ* suppleverunt συνέθη, quod non commodum praebet sensum, qui restituitur, cum legimus ἐνεμέθη; VI. 30. *Γ . . . . . . ЄΙΑ.* restituerunt γοργοφόνειαν, quamquam res ipsa postulat Τριτογένειαν; VII. 34. exstare dicitur *ΗΝΤΙ*, quod grammatice non fert, manifesto autem legendum est *ΗΜЄΙC*; XII. 30 quod legitur *ЄΙΗ*, sententiarum nexum turbat, qui bene se habet, cum rescribimus *ЄΙΗ*. Praeterea *Α*, *Δ* et *Λ* inter se atque cum partibus litterarum *Μ* et *Ν* commutata sunt, e. g. IV. 15. *ΜЄΘΩΝ . . . . . Μ . . . .* restitutum est μεθ' ὧν συνα[ρ]μόσε, quae cum ceteris omnino construi non possunt: quare nos reposuimus audacter quidem, sed necessario μεθερμηνεύων μύθους; IV. 18 in volumine legere sibi visi sunt *Κ . . . Η*, idque instaurarunt κοινῇ, cum articulus τοῖς, qui praecedit, dativum requirat, quo referatur: itaque aut κάνοσιν scribendum duximus, aut, τοῖς mutato in τῷ, κυκεῶνι; X. 16 in editione exstat *ΑΜЄΓΙ . . ΟΙC*, unde ἀμεγίστοις factum est, ne Graecum quidem vocabulum, nobis ἀμεγάρτοις reponendum est visum. Praeterea *Ρ* cum *Β* commutatum censeo I. 26, ubi *ΔΟΤ. ΡΙΟΝ* suppleverunt δοτήριον et ipsum a lingua Graeca alienum: sententiarum nexu flagitante scripsimus δοτῆρα βίου. Quod ad ultimam posterioris vocis litteram attinet, saepius *Υ* (Ⲩ) et *Ν* (Ⲡ) confusa sunt e. g. X. 18 . . *ΝΑΜΜΩ*, quod supplerunt, nulla sensus ratione habita, *ΑΝΑΜΜΩ*, quanquam τοῦ ἄμμου necessario requiritur, atque XII. 23, ubi exhibetur κατ' Ἐπίκουρον αὐτοῦ, neminem non fugit, postulari αὐτόν. Primo exemplo ad aliam rursus litterarum perturbationem ducimur: in voce

αμμω enim *ω* scriptum est pro *ου*, tenendamque Omega non eam habere figuram, quae apud nos est, maiorem (*Ω*), sed minorem (*ω*). Hac ratione III. 26 pru *αὐτῷ* legendum est *αὐτοῦ*. Iota, quod nunc subscribi solet, in voluminibus aliis accurate expressum vidimus tabulis aeneis: in fragmento autem nostro primi lectores non hoc tantum, sed iota etiam plenum vel iustum, parvitate opinor decepti, interdum nun viderunt. Ita VI. 15 *καλεσθαι* exhibitum est pro *καλεῖσθαι* et X. 25 *Αἰγυπτω* pro *Αἰγυπτίοις*, quod ex Athenaeo restituimus, cuius auctoritas Suidae testimonio firmatur.

Ne cui maiore licentia usi esse videamur in vitiis quibusdam tollendis, monendum est, exemplar Herculanense fragmenti nostri ceteris negligentius scriptum videri,* quod arguunt ipsae emendationes certae atque indubiae. Duas enim, si non plures, manus vel scribendi rationes in voluminibus illis esse distinguendas, tabulae aeneae aperte ostendunt. Altera ad crassiores formas inscriptionum accedente usi sunt librarii, qui Philodemi de vitiis et oppositis virtutibus librum exaraverunt; alteram tenuioribus ductibus scriptam, quodammodo ei scribendi generi, quod cursivum appellamus, similem, in Demetrii de Poëmatis et Philodemi de Rhetorice libris invenimus. Ab eiusmodi manu minus firma nostrum quoque fragmentum scriptum censemus. Quaedam vitia quomodo orta sint, vix aliter expediri potest; e. g. si VI. 3 pro *λέγῃ τις* reposuerimus *λέγοιτο*, ubi *ΗΤΙC* lectum est pro *ΟΙΤΟ*: lineas enim, quibus constat littera *Η* erectis, ita curvatas invenimus, ut, altera linea deficiente, haec littera et Omicron confundi possent. Huc trahimus miram confusionem, quam utrum librariis, an lectoribus tribuat, aliquis dubitet: C. IX. 9, ubi *ἀνελευθεράτεροι* pro *ἀνελευθερώτεροι* editum invenitur et C. VII. 4. *προσαγορίας* pro *προσηγορίας*.

Restat, ut de tertia emendandi ratione loquar, lacunas dico supplendas papyris inter evolvendum discissis ortas. Quot litterae interierint, accuratius e suppletis cognoscitur, quam e spatii magnitudine. Numerum tamen litterarum non accurate definiri posse in ipso versu medio, inde apparet, quod non omnes litterae eiusdem sunt magnitudinis, neque spatium explent aeque magnum, praesertim in illa scribendi ratione minus accurata. Ita factum est, ut in iis etiam versibus, qui fere eiusdem sunt longitudinis, litterarum numerus fluctuet. Quare neque Rosinius, ceterum diligentissimus, curavit, adderetne an demeret litteram, utrum eam mutaret, annon:

ita in Philodemi de Musice libro C. IV. v. 11. initio versus *ΠΟΛ. ΨЄCIN* supplevit *θεοληψεσιν*, quamquam hoc vocabulum Graecis non in usu est. Quod vero ultro se offert, *ὑπολήψεσιν*, aeque Graecum atque Epicureum, huic loco solum congruit. Idem in Epicuri libro secundo instaurando C. II. v. 9 dubitat, utrum *δεῖ*, *συν* an *δίκαιον* scribat, quamquam hoc una littera longius est. Atque haec emendandi libertas nobis eo magis permittenda videtur, cum aliud libri nostri exemplum, quod ad ipsius voluminis similitudinem aeri incisum sit, non exstet. Maior etiam supplendi facultas conceditur, cum lacuna in finem versus incidit; versus enim, cum non eiusdem longitudinis sint, alii duodecim, alii undeviginti litteras habent. Quare, ubi unus versus (C. I. 26) in viginti quinque litteras excurrit, cum duplex sit litterarum numerus, totum versum a librario praetermissum contenderim, et postea, errore animadverso, antecedenti versui in vacuo spatio, quod inter columnas est, additum esse. In huiuscemodi crisi adiumento fuit praeter meam qualemcunque Stoicae, inprimis Chrysippeae disciplinae, scientiam Ciceronis de Natura Deorum opus, praecipue liber primus, cuius pars (c. 15) ex hoc ipso fragmento translata est.

IV.

Phaedri de Natura Deorum fragmentum.

Quo facilius discerni possit, quid a me praestitum sit, quid debeatur primis instaurantium curis, sive Academiae Neapolitanae, sive Haytero, sive cuicunque alii, propositam rem ita instituendam putavi, ut superiore cuiusvis paginae loco ponerem meam fragmenti recensionem, ad eam, quae hodie in usu est, Graeca edendi normam; in inferiore autem parte et lacunosam voluminis lectionem et primam editionis Londinensis instaurationem ipsis cum vitiis*) quam accuratissime typis repetendam curarem, ita ut illa sinistram, haec dextram paginae partem occuparet.

*) Mira enim est in litterarum maiuscularum et minuscularum usu inconstantia, mira orationis membra signis distinguendi ratio; utraque multis quidem locis manifesto falsa. Alia nonnulla vitia exstant, quae utrum archetypi librario, an typothetae, an editori sint attribuenda, incertum est.

— καλέσειν εἰς τὴν προ|εδρίαν οὕτως· ἐπεὶ | παραδέδονταί τινες | μὲν ἀγαθοὶ καὶ εὐερ|γετικοί, κελεύσειν[6] | τιμᾶν αὐτοὺς θυσί|αις τοιαύταις, αὐτοῖς | δ'οὖν εὔξασθαι ὡς | θεοῖς, δωρέαν γὰρ[10] | ἂν δήποθεν διει|ληφότα περὶ αὐτῶν[12] | σεμνύνειν ἑαυτόν.

Ἀλ|λὰ οἴεται Χρύσιπ|πος, τὸ πᾶν ἐπιδια|τάσσων ἐν τῷ πρώ|τῳ περὶ θεῶν, διαῤ|ῥήδην τὴν φρένα πάν|των καὶ πάντα λόγον[19] | καὶ τὴν τοῦ ὅλου ψυ|χήν, καὶ τῇ τούτου[24] | μὲν ψυχῇ πάντα | φυτὰ διαχεῖσθαι | καὶ ζῶα καὶ τοὺς λό|γους· διὸ καὶ Ζῆνα[25] | καλεῖσθαι Δία, δωτῆρα | βίου· αὐτόν τε κόσμον τῶν ἀνόσω|ν ἔμψυχον εἶναι καὶ | θεὸν καὶ τὸ ἡγεμονι|κὸν καὶ τὴν τοῦ ὅλου[30] | ψυχήν· καὶ οὕτως | ἀνάλογον εὐνομεῖσ|θαι τὸν Δία καὶ τὴν | κοινὴν πάντων

Col. I.

ν εις την προ	*Καλεσειν εις την προ*
ιδ αν, ουτως επει	εδριαν, ουτως επει
πα αδεδονται τινες	παραδεδονται τινες
εν αγαθοι, και ευερ-	μεν αγαθοι, και ευερ-
γετ κ κελευσειν	γετικοι κελευσειν
ν α τυς	τιμαν αυτες θυσι-
ς τοιαυταις. Αυτος	αις τοιαυταις. Αυτος
ου ευξασθαι τοις	δ'ουκ ευξασθαι τοις
θεο δωρεαν, γαρ	θεοις δωρεαν, γαρ
θεν διει-	ειναι μηθεν διει-
λ τα περι αυτων	ληφοτα περι αυτων
ιν εαυτον. Αλ-	θορυβειν εαυτον. Αλ-
αι Χρυσ π-	λα οιεται Χρυσιπ-
αν ε ιδια-	πος. το παν επιδια-
τω πρω-	κρινων εν τω πρω-
δια ρη	τω περι θεων διαρρη
α παν-	δην την φρενα παν-
ντα λογον	των, και παντα λογον
κ τυ ολυ ψυ-	και την τυ ολυ ψυ-
χη τη τυτυ	χην, και τη τυτυ
μ παντα	μεν ψυχη παντα
σ	Πανταχη γινεσ
αι και τυς λ	θαι θεον, και τυς λι
ης. Διο και Ζηνα	θης. Διο και Ζηνα
καλ θαι Δια δοτ	καλεσθαι Δια δοτη-
ριον, τον τε κοσμον των ανοσω	ριον, αυτον τε κοσμον των ανοσω-
εμψυχον ειναι, αι	ν εμψυχον ειναι, και
θεον αι το η	θεον και το ηγεμονι-
κον αι την ο	κον ειναι την ολυ
χ ν. Και ω	ψυχην. Και ουτω
ναλγον ευν	αναλγον ευναζεσ-
θαι τον Δια, και την	θαι τον Δια, και την
κοινην παντων	κοινην παντων

Φύσιν καὶ Εἱμαρμέ|νην καὶ Ἀνάγκην | καὶ τὴν αὐτὴν εἶναι[4] *| καὶ Εὐνομίαν καὶ Δί|κην καὶ Ὁμόνοιαν καὶ | Εἰρήνην καὶ Ἀφροδί|την καὶ τὸ παραπλήσιον πᾶν· καὶ μὴ εἶναι | θεοὺς ἄῤῥενας μηδὲ*[10] *| θηλείας, ὡς μηδὲ | πόλεις, μηδ' ἀρετάς, | ὀνομάζεσθαι δὲ μό|νον ἀῤῥενικῶς καὶ θη|λυκῶς, ταὐτὰ ὄντα,*[15] *| καθάπερ Σελήνην | καὶ Μῆνα· καὶ τὸν Ἄρη | κῦρος τοῦ πολέμου | τε εἶναι καὶ τῆς | τάξεως καὶ ἀντιτά|ξεως· Ἥφαιστον δὲ*[21] *| πῦρ εἶναι καὶ Κρόνον | ἐκκριτικὸν τοῦ ῥεύματος ῥόον, Ῥέαν δὲ τὴν*[24] *| γῆν, Δία δὲ τὸν αἰθέ|ρα, τοὺς δὲ τὸν Ἀπόλ|λω, καὶ τὴν Δήμη|τρα γῆν ἢ τὸ ἐν αὐ|τῇ γόνευμα· καὶ παι|δαριωδῶς λέγεσθαι*[30] *| καὶ γράφεσθαι καὶ | πλάττεσθαι θεοὺς ἀνθρωποειδεῖς, | ὃν τρόπον καὶ πό|λεις καὶ ποταμοὺς καὶ τόπους καὶ πά*

Col. II.

1	*Φυσιν, και ειμαρμε-*	1	*Φυσιν, και ειμαρμε-*
2	*νην, και αναγ ν,*	2	*νην, και αναγκην,*
3	*και την αυτην ειναι*	3	*και την αυτην ειναι*
4	*και ευνομιαν, και δι-*	4	*και ευνομιαν, και δι-*
5	*κην, αι ομονοιαν, κα*	5	*κην, και ομονοιαν, και ε*
6	*ιρηνην, και Αφροδι-*	6	*ιρηνην, και Αφροδι-*
7	*την, και το παρ πλη-*	7	*την, και το παραπλη-*
8	*οιον παν. Και μη ειναι*	8	*σιον παν. Και μη ειναι*
9	*θεες αρρενας, μηδε*	9	*θεες αρρενας, μηδε*
10	*θηλειας, ως μηδε*	10	*θηλειας, ως μηδε*
11	*πολεις, μηδ αρ τας*	11	*πολεις, μηδ' αρετας*
12	*νομαζεσθαι δε μο-*	12	*ονομαζεσθαι δε μο-*
13	*νον αρρενικως, και θη*	13	*νον αρρενικως, και θη-*
14	*λυκως ταυτα ον α.*	14	*λυκως ταυτα οντα.*
15	*Καθαπερ σεληνην,*	15	*Καθαπερ σεληνην,*
16	*και να· και τον Αρη*	16	*και πανα· και τον Αρη*
17	*κ υ πολεμυ*	17	*κατα του πολεμυ*
18	*τε αι, και της*	18	*τε βηναι, και της*
19	*τα και αν τα-*	19	*ταξεως και αντιτα-*
20	*ξ φαιστον δε*	20	*ξεως. Ηφαιστον δε*
21	*πυ αι, και Κρονον*	21	*πυρ ειναι, και Κρονον*
22	*τη ρευ α-*	22	*αιωνιον τη ρευμα-*
23	*τος ρ ν. Ρεαν δε την*	23	*τος ροον. Ρεαν δε την*
24	*γην. Δια δε τον αιθε-*	24	*γην Δια δε τον αιθε-*
25	*ρα· τις δε τον Απολ*	25	*ρα· τις δε τον Απολ*
26	*λω, και την Δημη-*	26	*λω, και την Δημη-*
27	*τρα γ ν, η το εν αυ-*	27	*τρα γην, η το εν αυ-*
28	*τη γονευμα. και παι-*	28	*τη γονευμα. και παι-*
29	*δαρι ως λεγεσθαι,*	29	*δαριωδως λεγεσθαι,*
30	*και γραφεσθαι, και*	30	*και γραφεσθαι, και*
31	*πλαι εσθαι ς*	31	*πλαττεσθαι τοις*
32	*ανθρ*	32	*ανθρωποις τοιατ-*
33	*ον τροπον, και πο-*	33	*ον τροπον, και πο-*
34	*λεις, και ποταμυς,*	34	*λεις, και ποταμυς,*
35	*και τοπυς, και πα-*	35	*και τοπυς, και πα*

θη· καὶ Δία μὲν εἶνα|ι τὸν περὶ τὴν γῆν ἀ|έρα, τὸν δὲ σκοτεινὸν | Ἅιδην, τὸν δὲ διὰ τῆς | γῆς καὶ θαλάττης Πο|σειδῶ. Καὶ τοὺς ἄλ|λους δὲ θεοὺς ἀψύχοις, | ὡς καὶ τούτους, συν|οικειοῖ, καὶ τὸν Ἥλι|ον αὔτως καὶ τὴν Σελή|νην καὶ τοὺς ἄλλους | ἀστέρας θεοὺς οἴεται καὶ τὸν Νόμον· καὶ ἀνθρώπους εἰς | θεούς φησι μεταβα|λεῖν.

Ἐν δὲ τῷ δευτ|έρῳ τά τε εἰς Ὀρφέ|α καὶ Μουσαῖον ἀνα|φερόμενα καὶ τὰ | παρ' Ὁμήρῳ καὶ Ἡ|σιόδῳ καὶ Εὐριπί|δῃ καὶ ποιηταῖς ἄλ|λοις, ὡς καὶ Κλεάν|θης, πειρᾶται συνοι|κειοῦν ταῖς δόξαις | αὐτοῦ· ἅπαν γάρ ἐσ|τιν αἰθήρ, ὁ αὐτὸς | ὢν καὶ πατὴρ καὶ | υἱὸς Διός· κἀν τῷ | πρώτῳ, μὴ μά|χεσθαι τὸ τὴν Ῥέ-

Col. III.

θ αι Δια μ να-	θη και Δια μεν εινα-
ρι την ν α-	ι τον περι την γην α-
ερα, ο δε σκο τον	ερα, το δε σκοτεινον
Αιδ τον δε Δια της	Αιδην. τον δε Δια της
γης αι θαλλαττης Πο-	γης, και θαλλαττης Πο-
σ και το αλ-	σειδω, και τουσ αλ-
λου δε θευς αψυχοισ	λους δε θευς αψυχοισ
ως και τιτυς συν-	ως και τυτυς συν-
οικειοι· και τον ηλι-	οικειοι· και τον ηλι-
ον και την σελη-	ον μεν, και την σελη-
νην, και τυς αλλυς	νην, και τυς αλλυς
αστε ας θευς οιε-	αστερας θεους οιε-
ται, και τον νομον.	ται, και τον νομον.
κα νθρωπους εις	και ανθρωπους εις
C. III. 16 — 26. De Cleanthe egerat auctor noster, quantum e *Cicerone* (*N. D.* c. 14) suspicari licet, in parte libri huius deperdita. Doctrinam eius de diis exponit *Cicero* (*N. D.* II. 5.), cum qua consentit *Plutarchus* (*de Com. not. adv. Stoic.* c. 31.). Nos de eius theologia egimus in *Programmate gymnasii nostri* a. 1829. Emendavi hoc loco ἀναφερόμενα, quod ab ipso orationis progressu postulatur, et αὐτοῦ pro αὐτῷ; hoc quidem ferri potest, sed cum vidissem ω et ου saepius confundi, Islero monente, αὐτοῦ recepi.

C. III. 26 — IV. 5. Mirum sane loquendi genus ad fabularum similitudinem comparatum, si non ex ipsis fabulis depromptum! Quid dicere velit Chrysippus, ex eius reliquiis facile cognoscitur, et Drummondius ad h. l. recte exposuit: omnia ex tenui illo igni constare, quem aethera vocent; ex eo non quotidie tantum et oriri omnia, et in eum redire, sed et principio orta esse, et aliquando reditura; de qua elementorum vicissitudine dixi ad C. II. 20 et seqq. Unde hanc dictionem petiverit, equidem pro certo affirmare non ausim, suspicor autem ex Orphicis. Ideoque pro explorato habere non possum, quid v. 29 exciderit. Quod editio Lond. supplet, φησίν neque suo loco est, et sententiam relinquit mancam; cuius enim pater et filius aether sit, quaeritur. Cogitavi de ὅλου vel κόσμου, quod sententia postulare videtur, sed haec non personarum vice in fabulis funguntur. Deinde dubius haesi inter Νυκτός (secundum *Hesiod. Theog.* 124.) et Ῥέας, quoniam quis ex sequentibus concludat, deae hic mentionem esse factam. Tutius tamen duxi, ratione sensus habita, rescribere Διός. Etiamsi fabulae, quod sciam, Iovem aetheris nec patrem, nec filium nuncupant, tamen in Orphicis hoc fieri potuisse, nemo non fatebitur, cf. *Hymnum in Aethera nobis servatum.* Neque enim, ubi Rhea Iovis filia appellata sit, mihi innotuit; quamquam, cum confundi solita sit cum Diana et Proserpina, non est, quod dubitemus. Quod ad Chrysippi sententiam attinet, Iovis m a t e r est Rhea, quia aether alitur evaporatione terrae, f i l i a, quia terra imbribus facta est ex aethere ortis. Cf. quae adnotavimus ad C. II. v. 23. Deas easdem esse habitas et eas mundi partes, quas occupant, non est, quod miremur; hanc autem vocabuli συνοικείωσις esse vim, pluribus fragmenti nostri exemplis ostenditur; cf. V. 7. III. 24. VII. 7.

C. IV. 5 — 12. Operis *de Virtutibus* a Chrysippo compositi fragmenta collegit *Baguet* p. 257. Sententiam Chrysippi de Gratiis fusius exposuit *Seneca* l. I. c. 3. 4. *de Beneficiis.* Ex nostro loco discimus, istum Senecae locum non ex

singulari Chrysippi libro de beneficiis translatum esse, quod *Menagius* credidit ad *Diog.* VII. 202 et *Baguet*, eum secutus p. 337, nisi, quod sane fieri potuit, bis eandem rem tractavit. Quod recensio Loud. v. 6 restituit *τὸ θεῖον*, et grammaticam verborum structuram et orationis sententiam turbat; quod nos dedimus *τοιοῦτον διὰ νόμον*, allegoricam fabularum interpretationem denotat. Deinde pro *καὶ ἀρχὰς* scripsi *καταρχάς*, quod et orationem faciliorem reddit, et sententiae magis est accommodatum.

C. IV. 12 — V. 13. Fragmenta horum de Natura librorum congessit *Baguet* p. 159. Quod in editione Loud. ad lacunam supplendam additum est, id me non intelligere fateor. Meam quoque emendationem aliqua ex parte incertam esse, non ignoro. Cum *τοῖς* praecesserit, non aliud reperi vocabulum, quod a *K* incipiens praecepta significaret, praeter *κάνων*, idque eo magis suum locum occupare mihi visum est, quod cogitabam de dictione Heraclitea abrupta, cuius exemplum *πόλεμος πατὴρ πάντων* notissimum est. Hinc *τοῖς Ἡρακλείτου συνοικειῶν κάνοσι* suppleveram. Sed, si *τῷ* pro *τοῖς* legatur, quod quidem facile confundi potuit, non dubitandum est *κυκεῶνι* restituendum esse, quod vocabulum et Heracliteum est (apud *Lucianum Vit auct.* c. 14 p. 554 *ed. Reitz.* Cf. *Schleiermacheri, Herakleitos der Dunkle in: Museum der Alterthumswiss. v. Fr. A. Wolf u. Ph. Buttmann* V. I. p. 362 et 369 sqq.) et Chrysippeum idque in ipso primo de *Natura libro* contentum, ut *Plutarchus tradit de Stoic. Rep. c.* 34: *ἐν τῷ πρώτῳ περὶ φύσεως τὸ ἀΐδιον τῆς κινήσεως κυκεῶνι παρεικάσας ἄλλα ἄλλως στρέφοντι καὶ ταράσσοντι τῶν γινομένων, ταῦτ' εἴρηκεν* etc. Inde colligimus, in hoc libro a Chrysippo Theogoniam ad mundi originem describendam esse adhibitam. — Nox, de qua in primo libro egisse Chrysippus dicitur, ab Hesiodo quidem non prima habita est Deorum, sed in Orphicis iisque antiquis, quod cognoscitur ex Avium cantu apud *Aristophanem Av.* v. 690. Cf. *Orph. Hymn.* II. 1 et quae ad h. l. *Gesnerus* excerpsit ex *Hermeae commentariis in Platonis Phaedrum.* — Quam *Chrysippus in tertio libro* dedit mundi cum civitate comparationem, eam inde, opinor, repetivit *Cicero N. D.* II. 62. Pauca ex eodem servavit *Plutarchus de Com. notitiis adv. Stoic.* c. 34: *ἀλλὰ μὴν τόν γε κόσμον εἶναι πόλιν καὶ πολίτας τὰς ἀστέρας, εἰ δὲ τοῦτο, καὶ φυλέτας καὶ ἄρχοντας, δηλονότι καὶ βουλευτὴν τὸν Ἥλιον καὶ τὸν Ἕσπερον πρύτανιν ἢ ἀστυνόμον* etc. Hanc etiam sententiam ad Heracliti auctoritatem referendam esse videbit, quisquis contulerit *Schleiermacheri de Heraclito* scriptionem p. 350 et 477.

Quod deinde diserte ex Heraclito affertur, ipsius verbis tradit *Diogenes* (IX. 8): *πόλεμος πατὴρ πάντων*. — Quae hic ex *quinto de Natura* libro produntur, eadem verba saepe repetita legimus e. g. apud *Diogenem* VII. 143 *ex primo de providentia libro: ὅτι δὲ καὶ ζῷον ὁ κόσμος καὶ λογικὸν καὶ ἔμψυχον καὶ νοερόν, καὶ Χρύσιππός φησι ἐν ά περὶ Προνοίας.* Quo loco affirmatur, quidquid hic de libris *de Providentia* memoratur. Fragmentorum collectionem reperies apud *Baguetum* p. 212. Restat, ut pauca addam de ultimo huius loci vocabulo *ἀκοπιάτως*, quod hac quidem forma lexica non exhibent; quare iam Drummondius vulgarem formam *ἀκοπιάστως* restitui voluit, quae est una eius coniectura! Sed quis nescit, quam fluctuet usus in huiusmodi adiectivis? Propterea equidem hic nihil mutandum putavi.

Disputatio contra Diogenem Babylonium.

Col. V. v. 14 — Col. VII. v. 8.

Quae hic ex Diogenis Babylonii libro de Minerva petita sunt, ea *Cicero de N. D.* I. 15, 41 hoc modo excerpsit:

Quem (Chrysippum) *Diogenes Babylonius consequens in eo libro, qui inscribitur de Minerva, partum Iovis ortumque virginis ad physiologiam traducens disiungit a fabula.*

De Diogene hoc, Chrysippi discipulo, cf. *Menagium ad Diog. Laërt. VI.* 81. *Ionsium de script. hist. philos. l. I,* 2. *II.* 14. Liber eius de Minerva, qui hic memoratur, adhuc ignotus erat.

C. V. 14 — 24. In hisce Diogenes contra priores Stoicos, maxime contra Chrysippum disputat: eundem esse Iovem et mundum, concesserint etiam illi, quod a Iove totum mundum permeari docebant, a Diogene dissentientes. Diogenes enim animum a corpore accuratius distinxit, ideoque non permeari, sed contineri (*περιέχεσθαι*) corpus ab animo credidit. Ad rem illustrandam hominis utitur exemplo, cuius in qua parte animum habitare cogitaverit Diogenes, tradit *Plutarchus Plac. Philos. IV.* 5. 3. *Οἱ Στωϊκοὶ πάντες ἐν ὅλῃ τῇ καρδίᾳ ἢ τῷ περὶ καρδίαν πνεύματι [ἡγεμονικὸν εἶναί φασιν], Διογένης ἐν τῇ ἀρτηριακῇ κοιλίᾳ τῆς καρδίας, ἥτις ἐστὶ πνευματική.* Hanc discrepantiam inter Diogenem ceterosque Stoicos non ad sedem tantum animi vel eius principatus, sed ad totam animi cum corpore coniunctionem pertinere, docet *Galenus de Hippocratis et Platonis decretis I. p.* 264 *ed. Bas. V. p.* 283 *ed. Kühn*, unde haec adscribo: *Εἰ δέ γε ἕποιτο Κλεάνθει καὶ*

Χρυσίππῳ καὶ Ζήνωνι, τρέφεσθαι μὲν ἐξ αἵματος φήσας τὴν ψυχήν, οὐσίαν δ'αὐτῆς ὑπάρχειν τὸ πνεῦμα, πῶς ἔτι ταὐτόν ἐστι τὸ τρέφον τε καὶ κινοῦν, εἴπερ τρέφει μὲν τὸ αἷμα, κινεῖ δὲ τὸ πνεῦμα; Plurimi Stoicorum statuebant quamlibet corporis partem permeari ab animo, Diogenes vero sumpsisse videtur, per arterias tantum extendi animum, iisque corpus et contineri et regi. Eodem modo eum distinxisse opinor deos, veluti Apollinem et Dianam, a corporibus, quibus praesint.

C. V. 24 — VI. 2. A Iove universum permeari, ad quamvis igitur partem eum penetrare, e Stoicorum mente saepius diximus. Praeterea si variis mundi partibus varii atque diversi dii praeficiantur, recte Diogenes colligit, ceteros deos a Iove penetrari, id quod diserte docet *Diogenes Laërtius* VII. 139 et 147. — Cum v. 25 *μή* post *Δία* sententiae repugnet, scripsi *ὑποδύσειν*, quod, nescio quo loco, de hac ipsa re legi. Haerenti mihi, quid facerem de litteris *..δεις λ....ν*, (quod enim ed. Lond. praebet: *οὐδεὶς λήψειν*, nulla ratione ferri potest), auxilio venit, Islerus, egregie proponens *μηδεὶς λέγοι ἄν*. Ultimo denique huius enuntiati versu nominis proprii initium, quod deest, inepte fere, in editione Lond. *Πλούτωνα* suppletum est. Quis enim de philosopho Plutone audivit? Non dubitavi *τὸν Ζήνωνα* restituere; adversus hunc enim maxime disputat Diogenes. De Platone aliquis cogitare possit, si inspexerit Drummondii commentarios, in quibus e Cratylo Platonis de hac Iunonis potestate similis affertur locus; sed sententia Platonis non omnino eadem est, quae hic proditur.

C. V. 2 — 9. Huius loci emendationem, quod ad litteras attinet, iam supra defendi; restat, ut doceam, sententiam sic mutatam esse veram, imo necessariam. Vulgaris enim Stoicorum ante Chrysippum sententia erat, Minervam esse aëra vel aetherа. Ne ad *Ioannem Tzetzem* provocem, qui ad *Hesiodi Opp.* v. 2. nullo quidem auctore allato, similem opinionem fuisse pervulgatam tradit: *ἕκαστον δὲ τῶν θεῶν ὄνομα τριχῶς· τὸ Ἀθηνᾶ γυναῖκα βασιλίδα, τὸν παχυμερῆ ἀέρα καὶ τὴν φρόνησιν*, neve ad *Sallustii* de Diis scriptum, quod Menagio debeo: *καὶ Ἀθηνᾶ [δοτέον] τὸν αἰθέρα*, *Diogenes Laërtius* VII. 147, Stoicis universis hoc tribuit: *Ἀθηνᾶν δὲ καλοῦσι κατὰ τὴν εἰς αἰθέρα διάτασιν τοῦ ἡγεμονικοῦ αὐτοῦ.* Neque hanc explicationem a vera i. e. antiquissima Minervae significatione omnino alienam esse, docuit *C. O. Müller de Minervae Poliadis sacris etc. Gottingae* 1820. Noster hic locus ostendit, hunc de Minerva sententiam e vulgari de eius ortu fabula deductam esse, certe ea firmatam videri. Etenim si Iupiter significat aërem, ex eius capite natum esse

aethera collegerunt. Illud „ἐκ τῆς κεφαλῆς" sicuti alterum „Ζεὺς ἄῤῥην, Ζεὺς θῆλυς" ex Orphico quodam hymno depromptum esse suspicor. Prius quidem alius etiam theogoniae esse potest: apud Hesiodum saltem neutrum reperitur, nec in recensione vulgari, nec in iis*), quae post v. 900 exciderunt, sed servata sunt a Chrysippo apud *Galenum (in libro de Platonis et Hippocr. decretis, ed. Bas.* I. p. 273. K. V. p. 348. *Baguet* p. 197.); itemque, cum etiam in fragmentorum collectionibus desiderentur, ab Islero (Quaestionum Hesiodiarum Specimen p. 36.) exhibentur. Propterea illud prius ex eodem carmine, ex quo posterius profectum est, derivandum puto: Orphicum vero esse, illa de duplice deorum sexu doctrina docet, quam *Xenophontis* aetate notam fuisse, quomodo ex *Oecon.* IV. 2. 4. et *Cyropaed.* VII. 5. 53. probari possit, (id quod *Creuzerus* credit, *Symb.* I. p. 737.) me quidem non intelligere, confiteor. Quae ex Orphicis ad hanc rem illustrandam faciunt, *Gesnerus* congessit *ad* v. 14 *Argonautic. verba:* διφυῆ Ἔρωτα. Ita *Hymn.* VIII. v. 4 de Luna: θῆλύς τε καὶ ἄρσην, de qua non proprio sensu duplicem sexum intelligendum esse, Chrysippus supra C. II. v. 15 monuit. Idem de Mise celebratur seu Dionyso *Hymn.* XLI. 4. καλέω — Ἄῤῥενα καὶ θῆλυν, διφυῆ λύσειον Ἴακχον, atque de ipsa Minerva *Hymn.* XXXI. 10. Ἄρσην μὲν καὶ θῆλυς ἔφυς. Etiamsi non ille in Iovem hymnus ad nos pervenit, ex quo deprompta sunt verba hic servata, alius tamen in Iovem hymnus, apud *Pseudo-Aristotelem* de Mundo I. p. 475; apud *Eusebium in Praepar. Evang.* III. 9. p. 100; *Clementem Alexandrinum Strom.* V. p. 726; *Proclum in Platonis Timaeum* 2. p. 95. atque *Stobaeum Ecl. Phys.* I. 3. 23. p. 40 aut integer aut magna ex parte servatus atque a Gesnero et Hermanno inter reliquias sexto loco donatus, etiam Chrysippo notus fuit, quod ex *Plutarcho de Comm. not. adv. Stoic.* c. 31. colligimus. Hoc animadvertendum duxi, quoniam Stoici veteres antiquissimi sunt, qui eum norint, quod ab editoribus neglectum est. Illud loquendi genus, quod Iovi duplicem sexum tribuit, in hoc quoque hymno reperitur. Versus enim undecimus hic est: Ζεὺς ἄρσην γένετο, Ζεὺς ἄμβροτος ἔπλετο νύμφη.

C. VI. 9 — 27. Qui inter Stoicos principatum animi in capite posuerint, me nescire fateor; eos ante Chrysippum vixisse, inde apparet, quod ipse Chrysippus hanc sententiam, quae in fabula de ortu Minervae et nervorum origine, a

*) Ibi scriptum est Αὐτὸς δ' ἐκ κεφαλῆς etc., non ἐκ τῆς κεφαλῆς.

medicis tum in cerebro reperta, maxime niti videbatur, omni, qua potuit, sagacitate refutare studuit in *libris de Animo*, a Galeno excerptis in *libris de Plat. et Hippocr. decret. ed. Bas.* I. p. 273 *ed. K.* V. p. 348, *Baguet.* p. 297. Eo minus omittenda erat haec dissensio, quod nec Chrysippus dicit, se homines suae sectae impugnare, nec quisquam alius, qui de Stoicis memoriae prodidit, hanc differentiam memorat, imo plures de animi sede omnibus Stoicis eandem fuisse sententiam diserte declarant. Cf. *Chalcidium ad Platonis Timaeum ed. Meurs.* p. 306. et *Plutarchum de Plac. Phil.* IV. 5. 3. — De ὅτε pro ὅτι posito cf. Matth. §. 625. Deinde v. 13 pro *ΓΑ* . . . , unde ed. Lond. fecit γ'ἄν, me ταύτην scripsisse, non est, quod defendam. — Quae deinde sequuntur, e Chrysippi de Animo libris excerpta, fere integra leguntur apud Galenum l. l. Priora quidem v. 15 — 20 per se sunt satis perspicua; quae deinde leguntur, difficilia et intellectu et suppletu. De sensu, quem nos eruimus, consulas interpretationem nostram Latinam: hoc loco monere sufficiat, infinitivum et ad Χρύσιππον et ad τῷ referri posse; hanc autem posteriorem vocabula coniungendi rationem aptiorem esse. Chrysippus quaestionem de sede animi difficillimam iudicans, iis, quae ab utraque parte et eorum, qui eam in capite ponebant, et eorum, qui in corde, inter se collatis et perpensis, in corde cum principatum tum totius animi sedem esse, sibi persuasit. Divisum enim esse animum, id quod Plato credidit, inter caput, pectus et ventrem minime concessit, imo ἔστι δὲ τὸ ἡγεμονικόν, inquit, τὸ κατάρχον αἰσθήσεώς τε καὶ ὁρμῆς *(Galen. p. 253. ed. Bas.)* et οὐ γὰρ ἄλλη μὲν ἡ πηγὴ λόγου ἐστίν, ἄλλη δὲ διανοίας, οὐδὲ ἄλλη μὲν φωνῆς πηγή, ἄλλη δὲ λόγου *(Galen. p. 257.)*. Iis, qui contendebant, animum in capite habitare, vox, quam e pectore proferri nemo dubitabat, multum difficultatis attulit; illis autem, qui in pectore principatum locabant, quod sensus in capite conspicui et ipsi ad meditationem pertinere viderentur, negotium fecit. Qua ratione hanc pugnam componi posse crediderit, ipse exponit, apud *Galenum* (p. 259): Σχέδον γάρ, οἷα ἄν τις ἀντιλέγοι *) περὶ τοῦ τὴν φωνὴν ἐκ τοῦ στήθους φέρεσθαι διὰ τῆς φάρυγγος, ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ποιᾶς τινος καταρχῆς γιγνομένης, τοιαῦτ' ἔξεστι λέγειν, ἐν τῇ καρδίᾳ μὲν τοῦ ἡγεμονικοῦ ὄντος, τῆς δὲ τῶν κινήσεων ἀρχῆς ἀπὸ τῆς κεφαλῆς οὔσης. Si movendi principium in capite ponit, hoc ad sensus pertinere, suspicor: animadvertendum enim est, distingui inter primam vocis originem (καταρχή) et movendi

*) Ita emendavi pro: οἷα ἄν τινα λέγοι vel λέγῃ.

principium (ἀρχή). Aliud argumentum, quod a Chrysippi adversariis oppositum esse, noster locus ostendit, inde petitum est, quod vox ex ore, quod in capite est, prodeat ideoque e capite excerni videatur. Hoc, siquidem recte emendavi ad similitudinem loci Chrysippei, quem modo attuli, Chrysippus propterea falsum esse contendit, quod principium e capite petitum non sufficere possit; animum enim esse unum, in eius principatu situm esse intelligentiam, intelligentiam vero esse artem, quae quidem remitti et intendi possit, sed locum non mutare, nec plures simul locos occupare. Ad hanc argumentationem respicit alius Chrysippi locus apud Galenum l. l. p. 273. *Τὰ μὲν οὖν περὶ τῆς Ἀθηνᾶς λεγόμενα τοιαῦτά ἐστιν, ἄλλου τινὸς συμβόλου ποιοῦντ' ἔμφασιν· πρῶτον μὲν γὰρ ἡ Μῆτις λέγεται ὡςανεί τις φρόνησις καὶ περὶ τῶν κατὰ τὸν βίον τέχνη.* — Quae editio Lond. v. 25 exhibet, nec Graeca sunt, neque intelligi possunt.

C. VI. 27 — VII. 8. Optime hoc quidem loco primae instaurationis auctores *ΑΘ...Ν* suppleverunt *ἈΘΗΛΗΝ*, quam vocis *Ἀθηνᾶ* originationem praeter *Etymologicum Magnum* et *Phurnutum*, quorum mentionem fecit Drummondius, Ioannes *Tzetzes prodit in Schol. ad Hesiodi Opp.* v. 76. *Ἀθηνᾶ δὲ ἡ φρόνησις παρὰ τὸ τὰ πάντα ἀθρεῖν καὶ βλέπειν καὶ περὶ πάντων νοεῖν, ἢ ἀθηλά τις οὖσα, ἡ μὴ θηλάζουσα καὶ νηπιόφρων, ἀλλὰ γεννικωτάτη καὶ ἐντρανής* (?) *καὶ τροπῇ τοῦ λάμβδα εἰς ν̄ Δωρικῶς Ἀθηνᾶ, ὡς τὸ ἦνθον ἀντὶ τοῦ ἦλθον.* Cetera vero v. 29 et 30 male suppleta sunt, neque enim *Παρθενίδα* neque *Γοργοφόνειαν*, etiamsi hae vocabulorum formae Graecis in usu fuissent, ferri possent propter sequentia, quae necessario *Τριτωνίδα* et *Τριτογένειαν* flagitant, ut numerus triplex, qui ad illustrandum affertur, habeat, quo referatur. De tribus philosophiae partibus, quas Stoici receperunt cf. *Tiedemann, System der Stoischen Philosophie,* 1. p. 5. *Baguet* p. 49. *seqq.*

Stoici accusantur, quod re vera Deos esse negaverint.
Col. VII. v. 8 — IX. v. 12.

Quae hinc sequuntur, Cicero aut omnino praetermisit, aut adeo contraxit, ut vix agnosci possint; quare equidem crediderim, a capite 16 libri primi inde Zenonem esse a Cicerone excerptum, idque ex cap. 21 colligo. Si Stoici deos negare dicuntur, hoc eodem sensu, quo de Diagora, accipiendum est; neque enim deum unum universum, sed deos singulos a Graecis acceptos sustulisse quodam-

modo dici possunt. Similem argumentationem a mortalitate deorum petitam exhibet Plutarchus *de Comm. not. adv. Stoicos* c. 31.

C. VII. 8 — VIII. 9. Etiamsi pauca tantum supplenda erant, tamen archetypum difficile erat intellectu; insta vero verba distinguendi ratione reperta, oratio bene procedit. Vituperantur Stoici primo, quod nunc unum, nunc plures deos statuunt; deinde, quod hominum opinionibus in universum quidem se accommodant, neque vero omnes deos accipiunt, quos vulgus, nedum, quos populi peregrini; postremo, quod non figuris humanis indutos, sed aëreos et aethereos, certa forma destitutos fingunt. — C. VII. v. 11 pro *οἱ μέν* restitui *οἰητόν*, quia non inter variorum Stoicorum, sed inter Stoicorum atque ceterorum hominum sententias discrimen ponitur; eadem de causa v. 12 pro *οἱ δ' ἐν* scripsi *εἰ δ' ἐν*. Etiam v. 18 et 19 ab editione Lond. recessi: in ea quae loguntur: *ὡς οὐ κἂν εἰ*, sensu carent; quod vero nos dedimus *ὀκπερανεῖ*, et sensum restituit et orationis progressum reddit facilem. Male denique ed. Lond. C. VIII. 2 *μὴ* supplevit sequente indicativo, ubi nil nisi *οὐ* locum suum tenere potest. Quod ad grammaticen attinet, *εἶθ'. ὅτι* ad *ἐπιδεικνύσθωσαν* referatur oportet. De Diagora praeter vulgares de philosophiae historia libros inprimis conferendus est *Petrus Baylius* (*Dictionaire historique critique* s. h. v.)

C. VIII. 10 — IX. 12. Iam Clemens Alexandrinus (*Adm. ad Gent.* p. 15. *ed. Sylb.* p. 21. *ed. Oxon.* 1715), qui Diagoram laudibus effert, ut deorum gentilium derisorem, effecerat, ut de eius impietate narratio dubia videretur. Nunc antiquior ideoque maior accedit Aristoxeni auctoritas, quae verae impietatis opprobrio eum liberat. Mysteria ab eo esse illusa atque irrisa, si, quae apud Aristophanem de eo leguntur, comparamus, in dubium vocare non possumus; idque in libro illo, qui *λόγοι ἀποπυργίζοντες* inscriptus fuisse dicitur, factum esse, alii affirmant auctores. Aristoxeni auctoritas, in multis quidem dubia atque fallax, de Diagora testimoniis firmatur Scholiastae Aristophanei (*ad Aves.* 1073, *Nub.* 828 et *Ran.* 323.), qui publicis decretis usus, Diagoram ex eadem lege esse damnatum, ex qua Socrates, memoriae prodidit. Hoc enim certo ex scholiorum farragine erui potest. Licet igitur Diagoras mysteria profanaverit, res sacras polluerit, deos denique, quos et quales vulgus accepit, irriserit, inde non sequitur, eum iure iis adnumerari, qui numen divinum omnino sustulerint, quorum in numerum *Cicero* (*N. D.* I. 23) et *Sextus Empiricus* (*adv. Math.* IX. §. 53.) eum retulerunt. Aristoxeni

libros enumeratos reperis apud *Fabricium in Bibl. Gr. in catalogo Peripateticorum, Mahnium* de Aristoxeno Amst. 1793 et apud *Ionsium script. hist. philos.* I. 14. Liber *de moribus Mantineensium* antehac ignotus erat, quamquam ad eum pertinet, quod *Aelianus Var. Hist.* II. 23. tradidit: *Νικόδωρος δὲ ὁ πύκτης ἐν τοῖς εὐδοκιμωτάτοις Μαντινέων γενόμενος, ἀλλὰ ὀψὲ τῆς ἡλικίας, καὶ μετὰ τὴν ἄθλησιν, νομοθέτης αὐτοῖς ἐγένετο μακρῷ τοῦτο ἄμεινον πολιτευσάμενος τῇ πατρίδι τῶν κηρυγμάτων τῶν ἐν τοῖς σταδίοις. Φασὶ δὲ αὐτῷ Διαγόραν τὸν Μήλιον συνθεῖναι τοὺς νόμους, ἐραστὴν γενόμενον. Εἶχόν τι καὶ περαιτέρω ὑπὲρ Νικοδώρου εἰπεῖν· ὡς δ' ἂν μὴ δοκοίην καὶ τὸν ἔπαινον τὸν τοῦ Διαγόρου προςπαραλαμβάνειν, εἰς τοσοῦτον δεδηλώσθω τὰ τοῦ λόγου. Θεοῖς γὰρ ἐχθρὸς Διαγόρας, καὶ οὔ μοι ἥδιον ἐπὶ πλεῖστον μεμνῆσθαι αὐτοῦ.* — De Arianthe Argivo nihil compertum habeo, de Nicodoro ea tantum, quae ex Aeliano attuli. Quae versibus in hunc scriptis similia in Encomio Mantineensium fuisse dicuntur, apud Sextum Empiricum servata puto. Ille enim (*adv. Math.* IX. 53) narrationi vulgari de Diagorae impietate hoc addit: *ὅς γε καὶ τῆς ποιήσεως αὐτοῦ κατήρξατο τὸν τρόπον τοῦτον·*

κατὰ δαίμονα καὶ τύχην πάντα τελεῖται.

Num forte hoc encomii initium fuit, encomium vero illud totius poëmatum collectionis? — Atheis vulgo adnumerantur praeter Diagoram Hippon, Protagoras, Theodorus et Euhemerus. Cf. *Plut. Plac. Phil.* I. 7. 1. *de Comm. not. adv. Stoic.* c. 31. *Clem. Alex. Adm. ad Gent.* p. 15. *ed. Sylb. Aelian. V. H.* II. 31. Quis vero iste Philippus fuerit, qui hic inter Atheos refertur, pro certo affirmare nequeo; suspicor tamen eundem esse, quem *Diogenes Laërt.* I. 16 in numero eorum philosophorum, qui nihil scripserunt, inter Stilponem et Menedemum recenset; qua de causa eum Megaricum fuisse puto.

Stoicorum dii non ii esse arguuntur, quos aliquis metuat et veneretur. Col. IX. v. 12 — XI. v. 24.

Argumentatio, in sequentibus paullo obscurior, haec est: Etiamsi dii ab iniustis facinoribus abstineant, tamen cum mortales sint, eos nocere quidem posse, sed non prodesse, auctor noster colligit. Deinde quia aëreae naturae esse dicuntur, aërem vero nemo metuit, neque deorum metu perculsus quisquam iniustitia abstinebit, non magis, quam Aegyptii felis reverentia. Cum ii quoque, qui eosdem deos, quos vulgus, venerantur, nihilo minus prava perpetrent, inde non sequitur, eos aëris metu se ab iis temperaturos. Ferarum potius naturam Stoici hoc modo in homines transferunt, aëris flatu perterritarum, praesertim, si contendunt, se multitudinis reprehensionem non curare.

C. IX. 13 — X. 8. Eiusdem repugnantiae, quam v. 13 — 20 Stoicis opprobrio vertit Phaedrus, etiam *Plutarchus* eos arguit *de Stoic. Repugn.* c. 34 hoc modo: *Τῆς γὰρ κοινῆς φύσεως εἰς πάντα διατεινούσης, δεήσει πᾶν τὸ ὁπωσοῦν γινόμενον ἐν τῷ λόγῳ καὶ τῶν μορίων ὁτῳοῦν, κατ' ἐκείνην γενέσθαι καὶ τὸν ἐκείνης λόγον, κατὰ τὸ ἑξῆς ἀκωλύτως· διὰ τὸ μήτ' ἔξωθεν εἶναι τὸ ἐνστησόμενον τῇ οἰκονομίᾳ, μήτε τῶν μερῶν μηδὲν ἔχειν, ὅπως κινηθήσεται ἢ σχήσει ἄλλως ἢ κατὰ τὴν κοινὴν φύσιν. τίνες οὖν αἱ τῶν μερῶν σχέσεις εἰσὶ καὶ κινήσεις; δῆλον μέν, ὅτι σχέσεις αἱ κακίαι καὶ τὰ νοσήματα, φιλαργυρίαι, φιληδονίαι, φιλοδοξίαι, δειλίαι, ἀδικίαι· κινήσεις δὲ, μοιχεῖαι κλοπαί, προδοσίαι, ἀνδροφονίαι, πατροκτονίαι. τούτων οἴεται Χρύσιππος οὔτε μικρὸν οὔτε μέγα παρὰ τὸν τοῦ Διὸς λόγον εἶναι, καὶ νόμον, καὶ δίκην, καὶ πρόνοιαν· ὥστε μὴ γίνεσθαι παρὰ τὸν νόμον τὸ παρανομεῖν, μηδὲ παρὰ τὴν δίκην τὸ ἀδικεῖν, μήτε παρὰ τὴν πρόνοιαν τὸ κακοποιεῖν.* Cf. c. 15 et 38. — Si v. 20 non omnes Stoici iniustis facinoribus deos abstinuisse docuerunt, hoc de pravis geniis intelligendum est, quos nonnulli eorum acceperunt secundum Chrysippum apud Plutarchum *de Repugn.* c. 36 et 37. — Quae de ortu et interitu deorum Stoici proposuerunt, ea perspicue exposuit Plutarchus *de Comm. not. adv. Stoic.* c. 31. *Ἀλλὰ Χρύσιππος καὶ Κλεάνθης, ἐμπεπληκότες, ὡς ἔπος εἰπεῖν, τῷ λόγῳ θεῶν τὸν οὐρανόν, τὴν γῆν, τὸν ἀέρα, τὴν θάλατταν, οὐδένα τῶν τοσούτων ἄφθαρτον οὐδ' ἀΐδιον ἀπολελοίπασι, πλὴν μόνου τοῦ Διός· εἰς ὃν πάντας καταναλίσκουσι τοὺς ἄλλους. ὥστε καὶ τούτῳ τὸ φθείρειν προσεῖναι τοῦ φθείρεσθαι μὴ ἐπιεικέστερον· ἀσθενείᾳ γάρ τινι καὶ τὸ μεταβάλλον εἰς ἕτερον φθείρεται, καὶ τὸ τοῖς ἄλλοις εἰς ἑαυτὸ φθειρομένοις τρεφόμενον σώζεται· ταῦτα δὲ, οὐχ ὡς ἄλλα πολλὰ τῶν ἀτόπων, συλλογιζόμενα ἔχει τὰς ὑποθέσεις αὐτῶν, καὶ τοῖς δόγμασιν ἕπεται, ἀλλ' αὐτοὶ μέγα βοῶντες ἐν τοῖς περὶ Θεῶν, καὶ Προνοίας, Εἱμαρμένης τε καὶ Φύσεως γράμμασι, διαῤῥήδην λέγουσι, τοὺς ἄλλους θεοὺς ἅπαντας εἶναι γεγονότας καὶ φθαρησομένους ὑπὸ πυρὸς, τηκτοὺς, κατ' αὐτοὺς, ὥσπερ κηρίνους, ἢ καττιτερίνους ὄντας.* De crisi non est, quod disputemus; quod autem ad grammaticen attinet, Futuri usus, qualis est in voce *ὑπογραφήσεται* et supra C. V. 25 *ὑποδύσειν*, ubi sententia modeste profertur, fortasse non cuiusque animo obversatur ideoque est adnotandus. Cf. *Bernhardy Syntax der Griech. Spr.* p. 378.

C. X. 8 — 22. Nihil, opinatur Phaedrus, quisquam minus metuet, quam aëra: propter res maxime exiguas et contemptas ab iniustitia se potius abstinebit, quam deorum aëriorum metu. Quae deinde rerum contemptarum exempla afferuntur, cum lexica ex aliis etiam scriptoribus proponant, copiosiore expositione non indigent. Quod editio Lond. v. 19 supplet, *τὰ γοῦ*, cum de voce proprie usurpetur,

non ad stirpes referri posse censeo; ideo opportune ἔρια restituisse mihi videor. Alia exempla rerum externarum, quibus animus non moveatur, e Chrysippo affert Plutarchus *de Stoic. Repugn.* c. 23. De usu particularum οὐχ ὅτι cf. *Hermann. ad Viger.* p. 790 ed. III.

C. X. 22 — XI. 2. De Timocle ex Schweighäuseri indice ad Athenaeum adscribenda duximus haec: „*Timocles, comicus. Duos Timocles comicos poëtas distinguit Suidas, utriusque fabulas seorsim recensens et utrobique ad Athenaei Deipnosophistarum libros provocans: in quibus tamen nullum discriminis vestigium nec ulla nota, qua alter istorum ab altero distinguatur, hodie comparet. Quod si alterum quidem Timoclem comicum statuisset Suidas, alterum tragicum poëtam, speciem aliquam videri poterat habere illa distinctio ex Athenaeo IX. 407. B, ubi ait:* Τιμοκλῆς ὁ τῆς κωμῳδίας ποιητής, ἦν δὲ καὶ τραγῳδίας. *At ibi non comicum Timoclem distinguit a tragico; nec enim ait* ἦν δὲ καὶ ἄλλος τραγικός, *sed eundem Timoclem non modo comoedias scripsisse, verum etiam tragoedias.*“ Ex eodem loco nihilo minus id ipsum, quod Schweigbäuser negat, probare studet Meinecke (*Quaestiones scen.* Sp. III. p. 61.): quas quidem Athenaeus afferat fabulas, cunctas eiusdem esse poëtae; fuisse tamen alium tragicum poëtam eiusdem nominis. De quo cum aliunde nihil compertum habeamus, huic Meineckii interpretationi assentiri non ausim. Sed utrumcunque verum est, eum, cuius versus hic afferuntur, esse mediae comoediae poëtam, quem *Athenaeus* toties laudat et ante Alexin floruisse prodit (III. p. 720), pro certo habemus. Etenim non eadem tantum fabula, sed iidem etiam versus in libro VI. p. 300 afferuntur. Est, quod glorietur ars critica de hisce versibus recte instauratis. In prioribus enim editionibus ita leguntur:

πῶς ἂν μὲν οὖν σώσειν ἶβυς ἢ κύων;
ὅπου γὰρ εἰς θεοὺς τοὺς ὁμολογουμένους
θεοὺς ἀσεβοῦντες οὐ δεδώκασιν εὐθέως,
δίκην αἰλούρου βωμὸς ἐπιτρίψειεν ἄν;

Casaubonus eos in quibusdam locis emendatos ita exhibuit.

πῶς ἂν μὲν οὖν σώσειεν ἶβυς ἢ κύων;
ὅπου γὰρ εἰς τοὺς ὁμολογουμένους θεοὺς
ἀσεβοῦντες οὐ διδόασιν εὐθέως δίκην,
τίν' αἰλούροιο βωμὸς ἐπιτρίψειεν ἄν;

Schweighäuser in primo versu Casauboni recensionem retinet, in ceteris, praeeunte

Davisio et Piersono, versus tales dedit, quales in nostro libro manuscripto leguntur. Quid de litteris .ε.λουρου faciendum esset, quantumvis meditatus non reperissem; dei enim nomen latere opinabar, nisi Athenaeus opem tulisset. Editio Lond. inania exhibet, quamquam Drummondius in Commentariis Athenaei locum memorat. — Ex Athenaeo restitui *ἐν Αἰγυπτίοις*, namque etiam Suidas numerum pluralem habet; quod vero in volumine lectum est, *Αἰγύπτῳ*, integrum vix esse potest. — *Ἐπιτρίψαι, ὀλέσαι. Suid.*

C. XI. 2 — 25. Haec postquam iuste disposita et distincta sunt, largiore interpretatione vix opus est. Cum Stoici suam de reverentia erga deos sententiam defendentes inde argumentum peterent, quod qui deos accipiunt eosdem, quos vulgus, non a maleficiis absterrerentur, iis opponitur, aëris metu non magis absterreri homines. Hoc vero si concedatur, homines ait ferarum ratione vivere, quippe quae quovis strepitu, quem aëris flatus efficiat, exterritae fugiant. Quod aëris metu, ex vulgi opinione inanimati, nedum ratione praediti, se moveri paterentur, merito illi accusari videbantur, siquidem hominum ratione praeditorum iudicia sive laudantium, sive vituperantium omnino non curabant. Namque Stoici cuncta bona atque mala in animo collocantes, reprehensionem extra nos positam neque malum esse neque ad nos pertinere statuebant. Cf. *Tiedemann Syst. d. Stoisch. Philos.* III. p. 240. Praeterea iidem, quibus propositum esset naturae convenienter vivere, ad universi legem respicientes singulorum, quamvis plurimorum, sive laudes sive opprobria curare non poterant. Cf. Senec. Epist. 102. Cic. Off. I. 19. Particulam *ἦπου* (*sane, videlicet*) ironice hoc loco esse intelligendam, per se apparet. Ceterum de ea cf. *Vigerum* p. 411. Quamquam pauca tantum deerant, ne haec quidem, qui primum instaurare conatus est, ita supplevit, ut grammatices legibus congruant et intellectum habeant. Quid enim *μὲν* (v. 13) ultimo praecedentis aut primo sequentis periodi loco? *Εἶεν*, quod ego dedi, et sensui et grammaticae sufficit. Idem de versibus 23 et 24 valet.

Stoicorum priorumque philosophorum de diis doctrina ad iniustitiam depellendam non sufficere arguitur.

Col. XI. v. 24 — XII. 23.

Ut iis, quae contra Stoicos protulit, vim quandam et pondus adderet, cuncta opprobria quam brevissime comprehendit Phaedrus, ad eos simul respiciens,

quorum sententias ante Stoicorum doctrinam exposuerat: ita enim intelligo: *τοὺς πρὸ αὐτῶν ἐκκειμένους* i. e. *ἐκτεθειμένους:* hoc autem vocabulum eo sensu, quem dixi, legitur C. XII. 17. Omnes philosophos reliquos se movere non posse, opinatur v. 30, utpote argumentis ipsius tanquam vinculis impeditos; manifesto autem stolidos (*ἐναργῶς ἀναισθήτους*) eos appellat v. 33, quoniam ipsi non viderint, quid sibi opponi posset. In sequentibus vocabulum *θεοδέκτης* v. 2. multum mihi effecit molestiae, quod quidem exhibent lexica, sed nec accuratius explicant, nec, ubi reperiatur, adducunt. Initio eodem fere sensu, quo apud Homerum Od. IV. 248 *δέκτης*, hic, per iocum tamen, *θεοδέκτης* dictum esse putavi. Sed cum nullum repperissem locum, ubi vocabulum hoc legeretur, imo ex thesauro Stephaniano liqueret, a grammaticis esse positum, unde deduceretur adiectivum *θεοδέκτειος*, ad coniecturam perfugiendum esse censui, praesertim cum inter syllabas *θε* et *δεκ* lacunam esse animadverterem. Perpendenti mihi, in enuntiatis secundoriis deesse subiectum, non dubium erat *θεοὶ* esse supplendum. Antea iam dubitaveram de vocabulo *ἄγνωστον*, quod, lectione *θεοδέκτας* retenta, non nisi ad philosophos trahi poterat, atque, Islero proponente, *ἀγνοοῦντας* recepturus eram, cum, illa (*θεοὶ*) coniectura mihi comprobata, in litteris *ΔЄΚ..ΤΑC* participium latere intellexi, ex quo penderet *ἄγνωστον*. Ita, *ΛЄΓΟΝ-ΤΑC* restituto, omnia firma et perspicua sunt facta. Eos enim hoc loco perstringit philosophos, qui deos esse largirentur, qui vero et quales essent, se nescire vel omnino ignotum esse contenderent, ut Scepticos et Academicos. Diserte deos esse negarunt, v. 4 — 6, qui Athei nuncupantur; deos sustulisse, quamvis non aperte dixerint, Stoici (v. 6 — 7) ab auctore nostri accusantur. Iidem, sicuti etiam Empedocles et Heraclitus, ad iniustitiam incitare dicuntur (v. 8 — 14), quod diis imperandi libidinem et implacabile bellum tribuant. Stoicis etiam a *Plutarcho* idem opprobrio datur, *de Stoic. Repug.* c. 32 et 33, unde, quae rem maxime illustrarent (c. 32), transferenda duxi: *Ὁ δὲ [Χρύσιππος] οὕτω καταγελᾷ τῶν ἐπὶ τούτοις ἐγκαλούντων, ὥςε περὶ τοῦ Διός, τοῦ σωτῆρος καὶ γενέτορος καὶ πατρὸς δίκης καὶ εὐνομίας καὶ εἰρήνης, ταῦτα γράφειν ἐν τῷ τρίτῳ περὶ Θεῶν· Ὡς δὲ αἱ πόλεις πλεονάσασαι εἰς ἀποικίας ἀπαίρουσι τὰ πλήθη, καὶ πολέμους ἐνίστανται πρός τινας, οὕτως ὁ θεὸς φθορᾶς ἀρχὰς δίδωσι· καὶ τὸν Εὐριπίδην μάρτυρα καὶ τοὺς ἄλλους προςάγεται, τοὺς λέγοντας, ὡς ὁ Τρωϊκὸς πόλεμος ὑπὸ τῶν θεῶν ἀπαντλήσεως ἕνεκα τοῦ πλήθους τῶν ἀνθρώπων γένοιτο.* — Epicuri denique de pietate disputationem, quam v. 22 se adscripturum esse Phaedrus promisit, ex iis libris sumptam fuisse censeo, quos Cicero (N. D.

I. 41) ab Epicuro „*de sanctitate et de pietate adversus deos*“ scriptos esse testatur, atque Diogenes Laërtius (X. 27) *περὶ ὁσιότητος ἢ Ἡγησιάναξ* inscriptos fuisse refert. Ab Hegesianacte nomen acceperat liber iste, quia eius mors Epicuro scribendi occasionem dederat, de qua apud *Plutarchum* in libro: *Non posse suaviter vivi secundum Epicurum*, c. 20 ita exstat: *ταῦτα γάρ ἐν ἄλλοις τε πολλοῖς Ἐπίκουρος εἴρηκε καὶ περὶ τῆς Ἡγησιάνακτος τελευτῆς, πρὸς Δοσίθεον γράφων τὸν πατέρα καὶ Πύρσωνα τὸν ἀδελφὸν τοῦ τεθνηκότος.* Quibus argumentis Epicurus pietatem erga deos commendaverit *Cicero* docet *N. D.* I. 17. et *Philodemus de Musica* C. IV. v. 6. *Τὰ δὲ τοσαῦτα λεγέσθω καὶ νῦν· ὅτι τὸ δαιμόνιον μὲν οὐ προςδεῖταί τινος τιμῆς, ἡμῖν δὲ φυσικόν ἐστιν αὐτὸ τιμᾶν, μάλιστα μὲν ὁσίαις ὑπολήψεσιν, ἔπειτα δὲ καὶ τοῖς κατὰ τὸ πάτριον παραδεδομένοις ἑκάστῳ τῶν κατὰ μέρος· μουσικὴ δ' οὐκ ἐπιτέτακται.* Est locus ille, de quo supra p. 15 dixi, pro *θεοληψεσιν*, quod Rosinius dedit, esse restituendum *ὑπολήψεσιν*; neque enim *προλήψεσιν*, quod Creuzerus proposuit ad *Cic. N. D.* I. 17, litteras reddit in volumine lectas, neque sententiae satis congruit.

Peroraturus neque id omnino praetermissum volui, multas emendationes per se firmas et indubias in commentariis hisce omnino non esse commemoratas. Quid enim oportebat, quae, si quis diversas, quas dedimus, fragmenti nostri recensiones contulerit, vera esse atque certa primo obtutu apparet, in illis perlustrandis, adnotandis atque defendendis mihi moram fieri, aliis taedium!

Index Scholarum.

Christianus Petersen, *Phil. Dr.*,
Philologiae classicae Prof. P. H. S. Rector,

Semestri, quod instat, hiberno hasce scholas offert:

1) De *antiquitatibus Romanis* seu reipublicae Romanae conditione in tempus mutata disseret h. X - XI dierr. Jovis et Veneris.

2) *Historiam philosophiae* medii et recentioris aevi, h. X - XI dierr. Lunae, Martis et Mercurii docere paratus erit.

3) *Plauti* Rudentem explicare in animo habet h. XI - XII dierr. Mercurii et Saturni.

4) *Jurisconsultorum veterum* Excerpta enarrabit ea, quae in Walth. Fr. Clossii Hermeneutice Juris Romani (Lips. 1831) proposita sunt, h. I - II dierr. Lunae et Martis.

5) *Hesiodi Theogoniam* interpretari conabitur, ratione habita sententiarum de rebus mythologicis discrepantium, h. IX - X dierr. Jovis et Veneris.

6) *Hippocratis* de aëre, aquis et locis librum explicabit secundum suam editionem (Hamburgi 1833) h. IX - X dierr. Lunae et Martis.

7) *Latine scribendi* et rerum ratione et via disponendarum exercitationes cum lectionibus Clossii Hermeneuticae iuris et Hippocrati propositis coniunget. *Disputationibus Latinis* constituit h. X - XI diei Saturni. Praeterea si qui sunt, qui hoc illove scriptore vetere interpretando, sive Graeco, sine Latino, se exerceri cupiant, iis quoque operam suam spondet.

M. Carolus Fridericus Hipp, *Physices et Matheseos Prof. P.*

Quamquam in obeundo munere scholastico nunquam non paratissimus fui ad antiquam illam disciplinam, quae sola ad exquisitam eruditionem ducit, alacriter persequendam aliisque tradendam: paratiorem tamen, si fieri potest, facit renovata Gymnasii *Constitutio*, quae ut iustae exspectationi civium respondeat, quis, quaeso, non elaboret? In tanta re egone otiosus sedeam? Imo vero instabo operi, ut potero, faciamque pro viribus, ut mea quoque institutio quam plurimis prosit ad augendum accuratae doctrinae cultum et amorem.

Versabitur autem opera mea

primum in tradenda, quam superiore semestri docere institui, ea *Algebrae* parte, quae pertinet ad *Arithmeticam forensem*, dignissimam illam communi studiosorum cognitione, atque hoc ipso tempore perquam necessariam iis, qui rei publicae aliquando praefuturi sunt;

deinde in persequendis *rebus physicis*, praecipue quae ad *Hydrostaticam* et *Hydraulicam* spectant, secundum E. G. Fischeri Lehrbuch der mechanischen Naturlehre Ed. III.

Accedet praeterea aliud publicae institutionis genus, studium *Geographiae, mathematicae* nimirum *et physicae*, magno iure desideratum ab iis, quorum interest, leges naturae et bona globi terrestris non ignorare, nec velut in ipsis aedibus suis peregrinari.

Horae his scholis destinatae erunt: algebraicae d. Lunae et Martis XII, physicae d. Iovis et Veneris XII, geographicae d. Mercurii et Saturni XI.

J. G. C. Lehmann, *Med. et Philos. Dr. Hist. nat. P. P., Biblioth. civitat. publ. Praefectus primarius, horti botanici Director,*

Proximo semestri diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. XI-XII *Historiam naturalem*, quam vocant universalem, docebit, secundum Enchiridii a J. F. Blumenbachio de historia naturali scripti editionem XII (Göttingae 1830,) iisque scholis adjunget Introductionem in Zoologiam generalem et in disciplinas ad artem Medicam pertinentes.

Otto Carsten Krabbe, *Phil. Dr.*
Philologiae sacrae Prof. P.
Commilitonibus S.

Advenit, Cives, mihi exoptatissimum tempus, quo, divina benignitate in hanc publice docendi provinciam vocatus, Vobis scholas, quibus studiis Vestris consulam, offerre possum. Juvat sane, Cives, in Vestris ingeniis excolendis collocare operam et vires, quae sentio quam sint exiguae. Quidquid tamen in me est consilii, laboris, studii, ingenii, id omne Vobis, sacrarum literarum studiosis, libentissime tribuam. Meas enim esse partes arbitror, ut Vos imprimis, qui S S. Theologiae in Academiis operam daturi estis, libro uno alterove V. et N. T. critice et grammatice interpretando ad studia Vestra recte instituenda reddam aptiores, et via ad verbum divinum accurate intelligendum aperienda et praemunienda magis magisque Vos instruam. Sed profecto non solum literarum sacrarum studiosis prodesse velim, sed etiam aliis et maxime quidem illis, qui literis Graecis et Romanis operam dicarunt. Itaque, quantum in me est, contendam, ut in interpretandis N. T. scriptis linguae hellenisticae grammaticam fusius subtiliusque proponam et ratione, ut ita dicam, comparativa, cum reliqua Graecitate componam. Neque minus a nobis consulenda erit Alexandrina V. T. interpretatio, quae subtiliorem et accuratiorem linguae hellenisticae cognitionem, eaque adjumentum ad N. T. explicandum haud aspernandum nobis suppeditet. Pari modo id praecipue ab iis, qui S S. Theologiae operam daturi sint, agendum videtur, ut de religionis Christianae ortu, initiis et incrementis cognitionem subtilem, diligentem et copiosam, non e lutulentis compendiorum rivulis, sed e fontibus ipsis haustam, paullatim sibi comparent.

Scholae, quas semestri, quod instat, hiberno habendas Vobis offero, hae sunt:

Encyclopaediam et *methodologiam* theologicam tradam, diebus Jovis, Veneris et Saturni, h. IX - X.

Ex V. T. libris

Jobi carmen interpretabor, praemissa succincta de aetate, qua carmen literis consignatum sit, de auctore ejusque proposito, quod sequitur, disputatione; diebus Martis et Veneris, h. I - II.

Dici non potest, Cives, quanta luce universa Hebraea lingua acutissimis grammaticae quaestionibus ab Ewaldio, viro celeberrimo, institutis paucos intra annos sit illustrata et amplificata. Descendendum est igitur in intimos critices et grammaticae recessus; comparandae sunt, si lucem afferant, phrases loquendique formulae, quatenus in Arabica deprehenduntur dialecto, omnibusque literarum adminiculis id enitendum est, ut verus codicis sacri sensus enucleatus appareat.

Ex N. T. libris

Matthaeum, ratione synoptica Marci et Lucae evangeliorum habita, explicabo. Isagogen historico-criticam praemittam, qua de evangelii authentia et de sermone, quo Matthaeus evangelium suum consignaverit, disputabitur. Quae porro argumentis internis ex tota hujus evangelii indole et locis singulis, ipsius potissimum Matthaei narrationibus collatis, contra originem ejus apostolicam allata sunt, expendentur, itemque duo priora evangelii capita, quae alieno manu evangelio postea inserta fuisse interpretes nonnulli suspicati sunt, in examen vocabuntur; diebus Lunae, Martis et Mercurii, h. IX-X.

Historiam ecclesiasticam breviter enarrabo; diebus Lunae et Jovis, h. I-II.

Valete et studiis meis favete!

Christ. Frid. Wurm, *Phil. Dr., Hist. Prof. P.*,

1) ***Medii aevi historiam***, adhibitis tabulis, quas Auditoribus commendat, Bredowianis enarrabit dd. Lunae, Martis, Jovis, Veneris denique III-IV.

2) ***Idem Statisticam***, quam vulgo vocant, ***specialem*** docebit dd. Lunae et Jovis h. II-III.

3) ***Idem*** dd. Martis et Veneris h. II-III paratus erit ad explicandum Isocratis Panathenaicum. Quem si quis librum, exiguae sane molis ac simplici satis oratione compositum, minus dignum censeat, qui Civibus nostris proponatur: is vero animum advertat ad ipsius Isocratis de Panathenaico testimonium, universae antiquitatis consensu confirmatum: eam scilicet esse absolutissimi operis indolem, ut „leviter quidem attingentibus facile intellectu videatur et „expeditum, diligentius autem inspicientibus, pro gravitate argumenti, pe„nitiori studio appareat dignissimum, multis praeterea refertum, quae ad „historiam et philosophiam pertinerent, et tectis rationibus reconditisque „sententiis plenum."